TYPVS MESSIÆ ET CHRISTI DOMINI

ex veterum Prophetarum præsensionibus, contra Iudæorum ἀπιςίαν.

Accessit תרגום קהלת, *Targum Koheleth, hoc est, Caldaica Paraphrasis Ecclesiastis, Latinè versa,*

Authore Petro Costo.





LVGDVNI,

Apud Matthiam Bonhomme.

M. D. LIIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

PRIVILEGIVM.

NE QVIS HVNC LIBRVM QVI TYPVS MESSIAE INSCRIBITVR, ET CALDAEAM ECCLESIASTIS VERSIONEM, INTRA SEXENNIVM A DIE FINITAE IMPRESSIONIS ANNORVM REPVTATIONE FACTA, IN GALLIA IMPRIMAT, AVT ALIBI IMPRESSVM DISTRAHAT PRAETER MATTHIAM BONHOMME, PRINCIPALI RESCRIPTO CONTINETVR. EX QVO ET ILLVD SIGNIFICATVR, EOS QVI CONTRA FECERINT IN EA CAVSA FVTVROS, ATQVE SI ILLI NOMINATIM HAC DE RE CERTIORES FACTI ESSENT. QVI AVTEM EDI SIBI DIPLOMA DESYDERAVERIT, APVD LVGDVNENSEM LEGATVM CONSISTAT, CVI SOLI DE EA RE IVRISDICTIO NOTIO'VE EX RESCRIPTO DATVR. RESCRIPTVM AD AQVAE BELLAE FONTEM NONIS MARTII DATVM, SVBSCRIBENTE ROBILLART, ANNO DOMINI M. D. LIII.



NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO VICECOMITI DE CADENET, BARONI d'Oraiſon &c. Petrus Coſtus S. P. D.





ERFECIT vetus illa quæ tibi cum literis cõſuetudo eſt, & præſtãs in omni genere rerum doctrina tua, vt libellus iſte noſter in tuo nomine appareret. Qui etſi forſan peregrinus ad tuos adueniet, neq; ijs diſtinctus rerum verborumq; inſignibus, vt pari cum cæteris lectionis tuæ laude dignetur, cui tamen iuſtius quàm tibi tanta cõtrouerſiæ arbitratus notióue deferretur, habui neminem. Itaque alacres cognitionẽ impetrauimus, & rem totã in auditoriũ tuum induci fecimus, vt ad æquitatẽ cauſæ, pro qua nobis omnis in hoc libro propugnatio eſt, tantus cumulus accedat authoritate & gratia tua, quanti illam à te fieri longa pietatis & virtutis tuæ apparitione perſpeximus. Eſt verò tibi glorioſum, quod Carolo Magno imperatori & regi regum fuit honeſtum,

affecta iam ætate in grauioribus studijs acquiescere: nobis forsitan condonandum, si te discendi cupiditate inflammatum, & quodammodo in cursu contentius versantem, ad otium quietémque reuocemus. Quòd si nonnullis in locis oratio nostra tibi videbitur incitãtior, vel etiam plus contentionis habere, quàm rei à qua omnino haustos & delibatos animos haberemus, defensio postularet, ignosces velim homini pro aris & focis, pro delubris & templis, denique pro Deo immortali & liberatore orbis terrarum dimicanti. Consentaneum verò fuit in re primùm veteribus Hebræorum monumentis tradita, maximéque contra eos qui Hebræi & esse & nominari volunt, locos ex Hebræis voluminibus proferre. nam sæpe in scripto quæstio est, & pleru͂que ad rem, quæcunque sit quæ scriptione explicanda est, ex authentico ipso plurimum authoritatis & splendoris accersitur. Quod meo iudicio nihilo offendet eos qui Hebraicè non nouerunt. Latinam enim interpretationẽ velut è vestigio sequi fecimus, quæ illis Hebræa quodammodo prætergressis cumulatè satisfactura est. Vale. Lugduni, pridie Cal. April. 1554.

Δίστιχον Πέτρου τοῦ Προμάχου εἰς τὸ
Πέτρου τοῦ Κόστου βιβλίον.

Ξύμφερον ἢν ἐθέλῃς, βιβλία ταῦτα κυκλεῖτω·
Εἰ δὲ φιλῇς τὸ γλυκὺ, καὶ μέλι τ' αὐτὰ χέει.



TYPVS MESSIÆ.



COGITANTEM ME, vir præstantissime, tibi eius sermonis, qui mihi cũ Iudęis de fide & religione Christiana fuisset recognitum descriptúmque facere, acerba sanè, & plena mœstitię recordatio propè è cursu reuocauit. Nã quæ tam constans, tantáque seculorum antiquitate cõsignata in hominum Christianorum animis inueterauit opinio, vt in communibus istis miserijs homo à natura bene informatus non vehementius commoueri queat? Nos verò etsi sub eo principatu degimus, in quo longissimè ab his malis absumus, eáque quasi maximis interiectis spatijs videmus: quia tamen & liberalius est, & ad hominis dignitatem aptius, sese mundi ciuem existimare, quàm vno ciuitatis concludi loco, dabis opinor hanc veniam iusto dolori nostro, si aliarum gentium calamitatem in domesticis malis ponamus. Quid est igitur quòd tam latè imperans cupiditatis sitis eas hominibus tenebras offuderit, vt vberiore prouentu adducti, Iudæos nomini popu- *Vsus Iudæorũ Christianis perniciosus.*

lóque Christiano testatos hostes in colonias suas admiserint, eósque velut ciuitate, agro & vacatione donauerint? Nam vt interim omittam nō centesimas aut semisses, sed graues illas vsuras, quæ anno sortem alterā refecerint, quibus contra Lateranensis concilij authoritatem apud Christianos Iudęi in creditum eunt, qua tādem re fides nostra magis in periculum veniat, quàm illos aliquo veluti caduceo tutos inter nos versari, vti ijsdem porticibus, & eodem ciuitatis iure censeri? Accedit omnium longè perniciosissimum, quòd & seruitia Christiana conducta habent, & sępissimè illorum operis abutuntur ad inuidiam nostram. Quæ etsi non eo iure illis seruiant, quod Cōstantinus Sacratissimus princeps videtur lege esse complexus, quē & Pontifices maximi decretis suis postea sunt imitati: videatur tamē plurimum & ignominię & offensionis habere, si serui Christiani, dum rem familiarem tueri volunt, ad Iudæorū clientelas cōfugerint. Quid enim est tam flexibile, tamque parū constans & perpetuum, quàm opiniones vel de fide, aut etiā alijs de rebus, animis eorum ingenitæ, qui dominorū authoritate & vultu deterriti, facilè in contrariam sententiam pedibus eant? Quam non igitur illis peccandi illecebram humanitas principum afferat, qui apud nos captiui & ex iure gentium seruitutis nexu obligati, audent Christianis טומאה ועורלה hoc est, verbum de verbo transferētes, pollutionem & incircūcisionē, aut si quid aliud grauius cōceperint, obijcere? Quia igitur in tantis

Constantinus.

Iudæorum petulātia.

Tumah & orlah.

tãtis temporum & morũ erroribus ita versamur, vt nos vel ipsum peccare delectet, & in tam propinquum discrimen propè iam adducti sumus, vt in maximis opinionum fluctibus, & dissentiẽtibus hominum familijs ne veritas quidẽ ipsa sibi cõsentire videatur: ea res mihi hoc potissimùm tempore non mediocriter labanti Ecclesię opem tulisse visa fuerit, si Iudæos omnes, qui ex publicis Christianorum contentionibus & studijs, voluptatem fructúmq; capiunt, tãquam Herculeanam partem (vt ait Plautus) superis offeramus, & eos longè à Christianis decidamus. Quis enim nescit multos ab eis in sermone quotidiano & disputationibus, de cõstantia Christianæ religionis abduci, & in parùm conuenientes sentẽtias rapi? dum illi id agunt maximè, vt sacros Bibliorum libros, quos suos nõ desinunt prædicare, peruertant: dumque plurimum facultatis ad eos attulisse videri volunt, in apertissimis rebus & locupletissimis de Christo testimoniis propemodum caligãt, & produnt infantiam suam. Iam verò ne semper religionẽ meditemur (pro qua tamen viro sapienti omnis suscipiẽda est dimicatio) quid ad Reipublicæ tranquillitatem aptius esse potest, quid ad ciuitatum gubernacula accõmodatius, quàm flagitiosa ista mãcipia à populo Christiano secessionẽ facere, quibus stãtibus, in ciuitate quies & splendor retineri non potest? Quid enim aliud agũt, quàm vt bonorum ciuiũ fortunas euertant, patrimonia diruãt, & conflatis vsurarum additamentis ad perniciẽ plurimorum, rem suam domesticam augeãt? Ac si licet in rebus

afflictis initia quærere, quis ignorat cõgressu & Iudæorum communitate Christianos in omne genus auaritiæ propẽsiores factos, & ad omnia scelera licentiores? Iam enim ad eum statum res nostræ cõstiterunt, vt in rebus cõtractis & fœnore exercẽdo vel Iudæi esse, vel proximè Iudæos imitari videamur. Vbi sunt igitur sanctissima illa conseruandæ & tuendæ inter homines societatis iura? Vbi cautiones beneficẽtiæ, qua (vt inquit Cicero) nihil naturę hominis accommodatius? Vbi hospitalitas illa tãtopere à Theophrasto cõmendata? Quem quæso Christianorum non cum quadam miseratione mouet hospitalis ille Cimonis Atheniensis in curiales suos Laciadas animus, qui vt illis villæ paterent suæ, colonis imperauit? Egregium profectò ciuem, & dignum qui inter Christianos Christianus nasceretur. Pudet certè me vti nostrorum exẽplis, quos qui est genere & cognatione proximus ad liberalitatis & beneficentię officia inuitare nequeat. Tanta est apud eos in collocãdis beneficijs remissio, vt quò quisque propior est, hòc in eum conferatur benignitatis minus, & in meritorum ratione potius fortunam quàm mores sequantur. Qua re quid & homini & Christiano turpius? Iubent Philosophi nos in tribuendis officijs alacres esse. Et Quemadmodum (vt Chrysippus dicebat) clypei causa inuolucrum, vagina autem gladij, omnia verò hominis causa generata & facta sunt, sic & homo hominis causa: ita tamen hodie res se habet, vt præclarè cum eo actum existimari possit, & sibi ab

Hospitalitas.

Cimon.

Christianorum animus parum Euãgelicus.

Charitas Philosophica.

Chrysippus.

ab alio impertitum beneficium putet, si ab illo leuissima aut certè nulla iniuria discesserit. Sed ne veteris sapientiæ præcepta apud eos proferamus, qui se, non dicam, sapientes, sed ne Philosophos quidem esse voluerunt: quàm præclara illa, quæ in Euangelicis libris de pietate, & retinenda inter homines beneficiis vltrò citróque habitis societate & iustitia, diuinitus tradita sunt? Iubent ergo nos beneficos esse, non tantùm in eos quos nobis aut natura aut fortuna necessitudine colligauit (hæc enim publicani, atque adeo immanissimi quique præstare solent) sed & mutuo & cæteris officiis demerendos etiam illos, quibuscum nobis nulla neque familiaritas, neque notitia est. Hac enim re cęteris Ethnicis pietate præcellemus. Addunt præterea te obsequentem & meritorum magnitudine officiosum esse debere, non iis tantùm à quibus propter amplissimas opes referri tibi gratiam speres, sed & hominibus haud magna in re, à quibus propter angustias vitæ, benefacta & pecuniam tibi refici sarciriq; posse non iudices. Qua re iis qui Christum non norunt, facilè probitate antecedas. Verè autem si volumus iudicare, totius fidei nostræ seminarium charitas est, quæ omnes virtutes vna est complexa: quam tamen tempora ista (quòd tanquam rationum conturbatrix patrimonia & hæreditates expilaret) omnium credo suffragiis ab Ecclesia repulerunt. Præterea in collocandis filiabus, Dij boni, quanta apud nostros diuitiarum admiratio, quantúsque virtutis & morum despectus! Quo in genere adhibendus esset Themistocles, qui cùm inter-

Φιλαδελφία Charitas Euangelica.

Malus mos in maritãdis filiabus. Themistocles.

rogaretur, vtrum viro bono pauperi, an minus probato diuiti filiam nuptum daret, respondisse fertur: Malo virum qui pecunia egeat, quàm pecuniam quæ viro. Cycnea certè vox hominis non Christiani: à cuius sententia mirũ quàm hodie alieni simus. Licet autẽ nobis hanc gratiã Iudęis acceptam referre, qui patrum nostrorum memoria se in vniuersam Europam effuderant: quorum opera (vt satis superque testantur vetera historiarum monumenta) tantæ calamitates populo Christiano allatæ sunt, vt nonnulli principes referente populo, eos regnis & imperiis suis discedere iusserint, & in illos publicas proscriptionis tabulas proposuerint. Neque verò mirari desino quid caussæ est, quòd cùm populus Christianus tam sanctè & religiosè pietatem coluerit, vt Mahumetanos omnes, & id genus infidorum à se relegaret: tantùm de suo iure discesserit, vt Iudæos multis nominibus nobis infestiores, in fidem reciperet & ciuitate donaret: quorum animus (vt in eorum scriptis videmus) sanguine nostro expleri non potest. Tanta est in eis libido vindicandi, vt homines religiosissimi, qui se hæreditatem Domini & gregem pascuæ eius auribus inculcant nostris, non vereantur in sermonibus suis asserere, Homini sapienti, eique qui se totum ad nutum Dei voluntatémque conuerterit, propulsandam esse iniuriam, & priuatas contumelias ad domesticam vindictam & pœnam deposcendas. Quo quid à veteribus illis Iudæis alienius? quorum alij splendore bene actæ vitæ, alij dolorum tolerantia & animi magnitudine impleuerunt

orbem

orbem terrarum gloria nominis ſui. Horum ſanè conſtans memoria ad poſteros dimanauit: præclariſsima autem illa virtutis & excelſi animi ſeminaria cum authoribus ſuis conciderunt. Hoc verò iſtis vnum eſt reliquum, quod fallaciis & ſtipulatiunculis ſuis à Chriſtianis corradunt & conſequuntur.

Ac erit profectò tempus, quo non multùm extra rem excurrentes, nonnulla de illorum Meſſia pertingamus: quo in genere mirum quàm varia & ridicula in eorum libris ab illis exponãtur. Primùm quidem Rabi Moſe Bar Maimon, vir apud eos ſingulari ingenio & doctrina, aduentum Meſſiæ inter עקרים, hoc eſt, præcipua & ſumma fidei Iudaicæ capita numerauit, eúmque qui contra ſentiret & hæreticum, & in omnium longè maximo errore verſantem auſus eſt prædicare, neque illi futuro ſeculo poſitum eſſe ſalutis præſidium. Quò etſi ab omnibus fermè Iudæis concurſum eſt, Rabi tamen Hillel falſam eorum expectationem eſſe iudicauit, qui ſibi venturum aliquando Meſſiam promitterent. Iam enim eum (inquit) Ezekiæ Regis Ieruſalem tempora obruerunt. Quæ verò toto veteris teſtamenti corpore de ſemine Dauid fuſa latiſſimè viſuntur, quæque ex tot teſtimoniis, reliquis Iudæis animus præſagit boni, ea ad Ezekiam Regem traducenda eſſe arbitratur. Quod etſi huic pro ſcelere ponendum putent omnes: non tamen eum ſacricommiſſi aut alicuius nefarij criminis reum peragi debere R. Ioſeph contendit. Quanuis enim de Meſſiæ aduentu, ex Iudæorum ſententia impunè addubitare queat nemo: ſic ta-

Excurſus de Meſsia Iudæorum.

R. Moſe.

Ikarim.

In libro Ikarim.

men ſtatuunt ipſi, vt qui omnino Meſſiam venturum neget,non tamen fidei Iudaicæ pugnaſſe, aut eo nomine tanquam de violata religione, ad pœnam expeti poſſe videatur. Res enim illis ex eo genere putatur eſſe, quæ non ex ſcripturæ contextu, ſed potius ex Cabalæ myſteriis deprehendi queat. Quod an ſit verum, à nobis poſteà copioſius. De Meſſiæ verò natiuitate conſtans apud nonnullos fides eſt,vt in libro הגדה legitur, illum iam à multis ſeculis, ſecundi templi tempore natum eſſe. In qua quidem ſententia Talmudæi ſunt, apud quos legitur R. quidam Ioſue filius Leui interrogaſſe Eliam, quando venturus eſſet Meſsias: cui Elias, Iam venit, inquit, & Romæ cum pauperibus degit. Neque eum (vt ſubiicit) fefellit opinio. Romam enim profectus, ibi Meſsiam inuenit. Alij verò vt hominibus piis, & quibus veritas ipſa longè notior eſt, aditum contradicendi intercluderent, réſque tam commentitia myſterio quodam, & longè à ſenſibus poſita ratione ſeſe ipſa tueretur, ei in גן עדן, hoc eſt, amœnitatis pleniſsimo viridario, quod & פרדס, hoc eſt, Paradiſus appellatur, habitandi locum præſtituerunt, ibíque tandiu cum Elia Propheta moram facere, donec ab eo, oleo illo lætitiæ inungatur, eiúſque aduentus ad Iudæos omnes non ſolùm fama, ſed lætitia peruagetur. Quo loco quàm crebri de eo clamores, qui concurſus populorum,qui nationum plauſus! In eum omnes gentes ſpectabunt, ad illum omnium nationum ora & oculi conuertentur. Atque hoc erit tempus,quo Iudæos omnes in vniuerſum

Aduentus Meſsiæ quãdo. *Hagada.*

Meſsias Romæ.

Meſsias in Paradiſo.

Meſsiæ ad montem Moriæ aduētus.

ſum orbem diſsipatos palantéſque, & diuturna captiuitate defatigatos, vtque illi loquuntur נדחי ישראל, ad ciuitatem ſanctam & montem Moria vocet, & collapſam illam imperij Iudaici maieſtatem reſtituat, tertiúmque templum venerationis & ſplendoris pleniſsimum inſtauret: in quo Iudæis omnibus & maius & vberius quàm in ipſo Deo poſitum eſt perfugium. Ad illud enim omnes illorum ſpes & expectationes conſiderunt, ſub eius tutela & præſidio iacet futuri illius principatus amplitudo. Alij verò analogia & ſcripturarum comparatione freti (credo equidem quòd opinentur Chriſtianis metum ex illis commentis afferri poſſe) aliud quiddam excogitarunt. Vt enim Democritus bina quædam rerum principia & veluti duos Deos conſtituit, Beneficium & Pœnam, ſic & illi (in quibus eſt R. Ioſeph, qui nonnulla ex Hebræo in Caldæum tranſtulit) ſimilitudine quadam naſcentis ſynagogæ ſuæ, duos Meſsias ſtatuerunt: quorum vnus eſſet בר יהודה, hoc eſt, filius à ſummo capite Iuda: alius autem בר אפרים, filius Ephraim, nominaretur, primo longè dignitate inferior, quíque vltimo ſupplicio afficeretur: ſed tamen ab alio ad vitam excitaretur, illiúſque beneficio adhuc viueret. Quorum opinio R. Moſi in libro Iudicum non probatur, qui nullum alium quàm Dauidis filium cum imperio Meſsiæ venturum cenſet. Verùm, vt prima illa apud Ægyptios Iudæorum captiuitate, cùm Deus optimus maximus ea quæ iuramenti religione, & velut conceptis verbis facturum ſe receperat, vellet diſſolue-

Pſal. 147. *Eſaia 56.*

Democritus.

Duo Meſsiæ Iudæorum.

re, duos illos Iſraëlitarum antiſtites præſtantiſsimos excitauit, qui vario onere affectos Hebræos ab in-

Moſes & Aaron.

iuria turpiſſimæ ſeruitutis aſſererent, & quaſi vindicta manumitterent. Hi ſunt Moſes & Aaron, penes quos eius muneris ſumma reciderat, quorum opera in publico Ægyptiorum luctu Iudaicus populus patrias illas maiorum ſedes repeteret: cuius ſplendor varia certè fortunæ viciſsitudine, ad ea tempora ſeruaretur, donec Seruator noſter Ieſus Chriſtus natiuitate & paſsione ſua onus peccati ab humeris omnium depelleret. Quem cùm populus ille ſuus, & tot beneficiis ſibi coniunctiſsimus (vt

Exod. 32. & 33.

erat, teſte Moſe, קשי עורף, hoc eſt, durus ceruice) non cognouiſſet, expectationem illam Meſsiæ longioribus temporum diffiſionibus traxit, & ad hoc vſque tempus in eodem errore verſatur. Qui quòd eſt veritus, ne quos ſibi veritas aduerſarios conciliaſſet, labentibus ſeculis infeſtiores haberet, inuolucra quædam adinuenit, & exploſis Ioanne Baptiſta & Seruatore noſtro, ſe in alios duos libertatis Iudaicæ (ſi Diis placet) vindices aſsiduos, & Rabinorum diſputationibus effictos, reiecit. Et quemadmodum Moſes (ad quem totam hanc de Meſsia ſententiam referunt) adhuc in cunis apud

Hebr. 11.

Pharaonem Ægypti Regem educatus & alitus eſt, quúmque paululū ætate proceſsiſſet, maxima apud eum authoritate & gratia valuit, multíſque honoribus ordinatim eſt perfunctus: donec iubente Domino cum his mandatis ad Pharaonem venit,

Exo. 4 & 5.

שלח עמי ויעבדוני, hoc eſt, Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi. Qui cùm verbo Domi-

mini audiens esse nollet, & animo ad malum durato imperata Dei traheret, post maximas patriæ calamitates, in mare cum ingentibus copiis demersus est. Eadem ferè de Pontifice Romano (quem האפיפיור, hoc est, Papam vocant) in deambulationibus suis effinxerunt: in eum, opinor, hoc nomine iniquiores, quòd homines totius antiquitatis & rei gestæ ignari, quia à Romanis deletam euersámque Ierosolymam, abductósque se captiuos per manus acceperunt, suspicantur eius expeditionis Papam principem fuisse: qui eo tempore tam erat obscurus, vt ne à suis quidem cognosceretur. Educabitur igitur (inquiunt) in aula pontificis Romani futurus ille Mesias, summósque apud eum magistratus geret, & multùm gratia & studio in populo poterit, séq; ita habebit, donec ex edicto Domini Papam cum his mandatis adeat: Sic dicit Dominus, Dimitte populum meum vt sacrificet mihi. Quæ res Papam & suorum animos nouitate legationis tam est exasperatura, vt diuino illi præscripto omnium sententiis nullus relinquatur locus. Eum igitur exitum tota hæc fabula habitura est, vt cùm Papa neque Dei iussis, neque contentione Mesiæ sui ad hanc rem adducatur, ille & vniuersa Roma in direptionem abeat. Id enim locupletissimum Iudaicæ libertatis testimonium ex Rabinis audent prædicare, quum Roma penitus fuerit excisa. Sic verò res se habebit, vt Mesias populum illum suum ex omni terrarum orbe conquisitum, ad terram Israël, vetus & sanctum maiorum patrimonium, cum imperatoriis manubiis sit deducturus. Eum

Apipiior Pontifex Romanus.

Mesias apud Papam educandus.

Roma à Mesia excindenda.

ergo Mesiam expectant, & rerum gestarum magnitudine & imperij gloria præstantem: alterum credo Liberum patrem, & Ammonis filium, aut orbis vastitatem Tamerlanũ Tartarum, qui tot victoriis Christianos profligauit. Quisquis enim illis Mesias futurus est, eos qui Christo nomina dederint sub iugum mittet, ad Iudaismum quocunque tormentorum genere adiget, & ad defectionem à fide Christiana mala mansione solicitabit. Eos autem quos sub nomine Gog & Magog scriptura designat (qui ex Iudæorum & Mahumetis in Alchorano suo sententia, angustiis præruptorum montium, & vallo muróque æneo putantur ab Alexandro Magno esse conclusi, neque ex his vinculis eruptionem facturi creduntur, nisi ad tempora Mesiæ, vt cum eo de imperio, armis decertent) omnino conficiet, miscebit omnia, nulli parcet, cunctos ad pœnam vocabit. Eritque non humanitate & beneuolentia stipatus inter suos, sed armorum metu: quo quid à Mesia Domini alienius? Quid verò minus auribus & expectatione pij & religiosi hominis dignum esse potest, quàm audire Mesiam & Vnctum Dei his ipsis affici voluptatibus, quibus vel homo impurissimus operam dare sine incredibili verecundia non potest? Nam præter id quòd illum imperandi cupidum & popularis gloriæ summè appetentem faciunt, addunt ei & concubinarum greges, & Regum filias planè innumerabiles illi nuptum datas. Reges enim gentium (vt inquiunt) sibi plurimum honoris & iudicij tributum existimabunt, si illi filias suas in matrimonium

Mesias Christianis infestus.

Ezech. 14. & 30. & Apocal. 20.

Mahum. in Alchorano, Azoara 28.

Mesias inter greges concubinarum.

nium

nium elocauerint. Hæc quàm ſint, non dicam à Meſsia, ſed ab homine, vulgari & humana ſapientia prædito alieniſsima, omnium ſit exiſtimatio. Atque vt eorum genus cæteris populis dignitate pręſtare videatur, ſtatuunt è gente Iudæorum Reginam, quæ vt inter cæteras principem obtinebit locum, ita Meſsiæ in coitus perpetuos vſus deſeruiat, ob ídque eam שגל vocant: cæteræ autem etſi habeantur vxorum loco, nũquam tamen ad Regem Meſsiam accedant, niſi illis nominatim condixerit. Hæc tam abſurda probari poſſe contendunt ex Pſalmo Dauidis 45: vbi tamen de Salomone Rege ſermonem fieri, nemo niſi antiquitatis imperitiſsimus non iudicauerit: quanuis & ſimilitudine quadam humanæ imbecillitatis, Meſsias adumbratus videatur. In eandem etiam ſententiam citant illud Eſaiæ, יראה זרע יאריך ימים וחפץ יי׳ בידו, hoc eſt, Videbit ſemen, producet dies, & voluntas Dei in manu eius. Sed tamen quid non in ſermonibus & diſputationibus ſuis audeant, qui quibuſcunque rebus fieri poterit, retinendum ſibi veterem Rabinorum cultum ſtatuerunt? Tales certè qui ſunt, deteriores fiunt impulſi. Quia verò in hanc rem tam longè noſtra euagata eſt oratio, non omittam quę Talmudæi de Meſsia adducunt. Volunt enim olfactu & narium iudicio mirè præſtantem, & omnibus qui vnquam fuerunt longè ſuperiorem fore. Nam (vt inquiunt) hoc ſenſu abdita & arcana legis cognoſcet, dignitatem à turpitudine iudicabit, conſequẽtia cernet, principia cauſáſque rerum, & quaſi anteceſsiones præcipiet, & hac veluti nota à

Segual.

Eſai. 53.

Meſsias olfactu ſtupendo.

In libro Sanhedrim, hoc eſt Iudicũ.

cæteris cenſebitur. Eóque ſpectaſſe Eſaiam credunt, quum ait, לא למראה עיניו ישפוט, Non in viſione oculorum iudicabit. Atque hanc eſſe cauſam cur impius ille Barcoſiua (quem Euſebius Barcocabam vocat) qui iam centuriatis fermè comitiis Meſsias erat renuntiatus, quíque multis ſignis & prodigiis, omnium Iudæorum ſuffragia prenſauerat, magiſtratus amplitudine abrogatus eſt. Cùm enim penitiora illa Cabalæ myſteria & arcana (quibus potiſsimùm ex Iudæorum ſententia, abſcondita ſacræ legis continentur) olfactu ſolo non poſſet iudicare, neque eo ſenſu animum in homine facilè principem, notionibus & intelligẽtiis æquaret, ab omnibus deſertus, pœnas temeritatis luit. Cùm autem aduentus Meſsiæ ad omnes Iudęos percrebuerit, iam ex principum & populorum manibus arma excident, víſque omnis conquieſcet: neque erit quicquam quod Iudæos incredibili Meſsiæ ſui deſyderio incenſos, quò minus ad eum receptum habeant, retardare queat. Ne autem (vt ipſi inquiunt) itinerum difficultas hominibus piis, quorúmque ſalus & gloria Deo pergrata eſt, tædium & ſatietatem afferat, habitis opinor, ex omnibus Angelis, qui in cælo beati æterno æuo fruuntur, delectibus, ſtationarios quoſdam ſibi conſcripſerunt, quorum præſidiis & comitatu, non tantùm ad tutelam ſui, ſed etiam ad viæ leuationem vterentur, eíſque ducibus deſyderatum illum Ieroſolymę portum contingerent. Quoſdam autem ex Angelis in itineribus diſpoſuerunt: calones opinor, eos & lixas arbitrati, qui æquatis & refectis viis, montium editorum

Eſa. 6.

Barcoſiua Pſeudomeſsias.

Euſeb. 4. de hiſtor. Eccleſiaſt.

Concurſus ad Meſsiam.

Angeli Iudæis in via comites.

rum difficultates summouerent, vt æquiore loco Iudæis ingredi liceret. In cuius rei fidem citant illud Malachiæ, הנני שולח מלאכי ופנה דרך לפני ופתאם יבא אל היכלו האדון אשר אתם מבקשים וכו׳ id est, Ecce ego mitto Angelum meum, qui verret viam ante me, & repente veniet ad templum suum Dominus, quem vos quęritis, &c. *Malach.3.*
Quid verò stultius, quàm ex eo Esaiæ loco gloriam aucupari, dum ait, כל גיא ינשא וכל הר וגבעה ישפלו, Omnis (inquit) vallis exaltabitur, & omnis mons & collis eleuabitur. Ex quo euenturum Iudæi opinantur, dum ab ipso contextu non recedunt, vt montes illi, quos iter facientibus fastidium afferre sæpissimè vsuuenit, reliquo solo æquentur. Ita fiet, vt & magnis itineribus, & summa etiam animi delectatione ad constitutum locum contendant. Atque vt illis & ætate prouectioribus, & fortunatioribus esse liceat, infestum hunc & valetudini non admodum amicum aërem clementissimo cælo commutabit Deus: cuius benignitas tantum roboris & sanitatis omnibus Iudæis allatura est, vt veteribus illis quos nongentos annos complesse referunt historiæ, vitæ diuturnitate non concedant. Atque eò pertinere putant quod scriptum reliquit Esaias, הנני בורא שמים חדשים וארץ חדשה וגו׳ id est, En creo nouos cælos & terram nouam, neque posthac priora replicabuntur. Quid multa? in pabulationibus & frumentationibus felicitatem animo anteuertunt, & naturam tritici ad stabilitatem vineæ conantur traducere. Nam vt ipsa vitis semel solo commendata,

Esa.40. *Aër commutatus.* *Esa.65.* *Seges commutata.*

adhibita aliqua in repaſtinationibus & ſtercoratione cura, quotannis vberes & diuturnos agricolæ fructus affert: ita in ſegetibus culmus ille geniculatus multis ſeculis terra continebitur, & fructum feret: neque in poſterum annorum ſerie repetitus labor miſeros colonos enecabit. Eámque mentem ad Hoſeam afferunt, dum ait, כה אמר יי׳ יחיו דגן ויפרחו כגפן, Viuificabunt (inquit Dominus) triticum, & florebit ſicut vitis. Addunt prætereà de natura animalium. Nam vnumquodque animal eam naturam recipiet, quam primis illis ſeculis in arca Noë habuiſſe augurātur ipſi, & mira quædam & ſtabilis erit inter illa coniunctio. Nam & leones ipſi, cæteráque animantia, in quibus feritatem videmus, facilè in conſuetudinem venient cicuratæ & manſuetæ vitæ. Quam rem probari poſſe exiſtimant, omnia ad nudam literam referentes, ex eo loco vbi de probis & ſceleratis Propheta ait, זאב וטלה ירעו כאחד, Leo (inquit) & agnus ſimul paſcentur. Quorum ſententia R. Moſi Ægyptio non probatur, qui in הלכות, ſiue in diſputationibus, quas ad librũ Iudicum addidit, refutat eos, quibus tantopere in rerum natura commutationes placēt. Hæc ſunt, quæ vt generi ſuo lumen afferrent, quaſi ex veterum Aboriginum ſeculis repetita, Iudæi in ſuam familiam traduxerunt: dum illi ſolos ſe in conſilium adhibitos quiritant, nihilq; eſſe tam aut magnificum aut reconditum, cuius non Deum optimum maximum debitorem ſibi, velut ex calendario citent. Quis enim riſum teneat, quum audierit R. Kimhi his verbis cum Domino rationes ineun-

Hoſea 14. *Feræ cicuratæ.* *Eſai. 65.* *Halachoth.* *Kimhi.*

ineuntem, ולא די שתוציאנו מן הגלות אלא שתרבה גדולתנו ממה שהיתה טרם הגלות, Non est (inquit) satis, vt tu nos ab hac captiuitate liberes, sed vt rebus cumulatioribus augeas, quàm ante captiuitatem vnquam accidit. Item & alio loco fructum Pronœæ & prouidentiæ Dei ab hominibus reliquis semouet, neque vniuersum mortalium genus Deo curæ esse censet, nisi quantum in rem Iudæorum esse possit. Non viderunt homines inepti ad mentem & prouidentiam Dei nostra pertinere, quorum res gestas & reliqua monumenta nunquam cognitione attigerunt. Quid, qui ne à mortuis quidem temperauerunt? Neque enim solùm viuis Mesiæ aduentum fructuosum fore asserunt, sed & mortuos virtute & rectefactis claros in societatem & velut patrimonium gloriæ vocant. Eos enim (vt aiunt) ad vitam excitabit Deus, vt oculos æqualium suorum felicitate, & Israëlis pace expleant, hácque lætitiæ vsura viui perfruantur. Improbos verò nec summo illo iudicij die à morte excitandos, probari contendunt ex illo Dauidis loco, על כן לא יקומו רשעים במשפט וכו׳: Ob id non resurgent impij in iudicio, neque scelerati in corona iustorum. Quod tamen Christianis aliter iudicatum est. Neque enim iudicio illo resurgent impij ad vitam & salutem. Quî enim dicetur surrexisse, qui vel ipso momento sublatus est? Hæc illi de principatu & imperio Mesiæ passim in libros contulerunt, vt posteros tot iam annorum seculis desyderio confectos, & expectatione retinerent, & aliquam in spem adducerent proximè imminentis

Psal. 17. *Amos 1.* *Iudæi à mortuis excitãdi.* *Psal. 1.*

Meſſiæ. Hæc enim vt ſunt grandia & magnificentiæ plena, afficiunt homines totius humanitatis expertes, quíque alterius linguæ diuitias, & monumenta nullo modo ad ſe pertinere voluerunt. Quis enim ex tota illa imperita multitudine non moueatur, quum inciderit in eos Rabinorum locos, in quibus aſſerunt, fore vt omnium gentium humeris, Iudæi in paternas illas ſedes ex vltimis terris referantur, ſpoliis populorum augeantur, & pretioſiſſima quæque nationum diripiant, vtantúrque gentibus in opus vinearum & culturæ. Atque ad eum modum interpretati ſunt illum Eſaiæ locum,

Eſaiæ 61. ועמדו זרים ורעו צאנכם ובני נכר אכריכם וכורמכם ׃ ואתם כהני יי׳ תקראו ומשרתי לאלהינו יאמר לכם חיל גוים תאכלו וכו׳ ׃ hoc eſt, Stabunt exteri, & paſcent gregem veſtrum, & alienigenæ erunt agricolæ & vinitores veſtri. vos autem vocabimini Sacerdotes Dei: & vobis, Sacrifici Domimi Dei noſtri, dicetur, ſubſtantias gentium comedite, & quæ ſequũtur. Quę omnia per ſimilitudinem quandam dicta exiſtimari debent: quod dicẽdi genus ipſis Prophetis perquàm familiare eſt. Prætereà quis de gradu naturæ non diſcedat, quum ſibi in animum induxerit, fore vt temporibus Meſſiæ Iudęi tanta felicitate expleantur, vt ad eam nulla poſſit fieri acceſsio, neque indigeant vel proſperitate vel expiatione. hęc enim ferè ſunt eorum verba. Addunt etiam, quòd ſi Iudæus quiſpiam (quum bellis à Meſsia confectis, & compoſito rerum ſtatu, diuturnitas pacis, otium confirmauerit) vel ſui colligendi, vel etiam negotij cauſa in exteras nationes diuerterit, omniũ

Kimbi. Pſal. 72. Iudęorum leuitas.

gent

gentium oculos in eum fore defixos: dicturósque omnes cum incredibili honoris significatione, Hic est ille ex filiis Israël, quibus tantùm iudicio Dei tributum est, vt solis illis se velut Ducem & Imperatorem designaret. Leuiculos homines, quos popularis aura & hominum sermo commoueat. Quis enim vnquam in magnis & præstantibus viris habitus est, qui penderet à iudicio imperitæ multitudinis, aut ex ore populi suspensas haberet rationes? Itaque iustè reprehensus est Demostenes, qui delectari se vetulæ illius testimonio prædicabat. Tantùm igitur amentia & imperandi cupiditate processerunt, vt in vniuersum orbem Messiæ suo principatum portendi asserant, & tanquam Gordium nodum dissoluerit, terra maríque imperaturum credant. Qui autem illius iugum detrectarit, ei paratum esse à Domino vltimum supplicium. Cuius sententiæ certissimum se habere argumentum credunt ex Esaia, his verbis, כי הגוי והממשלה אשר לא יעבדוך יאבדו· hoc est, Quoniam populus & regnum, quæ tibi non seruierint, peribunt. Ex his nulli obscurum videri potest, quàm parùm feliciter in sacrarum literarum interpretatione versentur ij, qui omnes locos priuatis commodis & domestica gloria metiuntur, quíque eas scripturas, quæ diuinitatis sunt refertissimæ ad immanissimas quasque voluptates audent traducere. Quia autem tam multa de Messiæ imperio & rebus gestis prędicauerāt, iudicarunt se sibi propemodum defuturos, nisi etiam aliqua de ipsius morte augurarentur. Itaque Rabi Mose non, vt opinor, ex vo-

Demosthenes

Messias mundi dominus.

Esaiæ 60.

Mors Messiæ Iudaici.

latu oſcinis,neque tripudio ſoliſtimo(vt eſt in Etruſca diſciplina) ſed ſuo ipſe ſenſu & furore diuinandi motus,eum iam prouecta ætate moriturum longè antè præuidit, illique filium imperij & gloriæ ſucceſſorem dedit, iterúmque filio vita & magiſtratu functo,nepotem hæredem regni deſignauit. Deridenda ſanè hominis arrogantia, futura tanquam è ſpecula,longè animo cernentis,præterita autem & velut ante pedes poſita ignorantis.

Duæ partes nobis cum Iudæis controuerſæ.

Atque vt vnde digreſſa eſt, eò noſtra ſe referat oratio,omnis quæ Iudæis nobiſcum eſt controuerſia,duabus potiſsimùm partibus continetur: vna in Trinitate poſita eſt: altera in aduentu Meſsiæ conſiſtit. Quod ad primam ſpectat,mirum quàm Trinitatis nomine eos offenſos habeamus. Aiunt enim nos tres Deos venerari & colere. A qua ſententia longè Chriſtiani abſunt. Neque enim ſe ad trium Deorum cultum contulerunt,ſed vnũ Deum,eum tamen tribus dignitatibus & perſonis præſtantem colunt,vt verè & trinus & vnus appelletur. Itaque homines rerum noſtrarum,atque adeò linguarum omnium imperiti, audent nos ſcriptis ſuis in contentionem vocare, quorum legem minimè cognitam perſpectámque habuerunt.Qua re perfectum eſt,vt multa contra veritatem de fide noſtra ſuſpicantes,tandiu in eodem errore verſentur.Huc pertinet quòd nomen ipſi Chriſtianorum oderunt, vel ea ratione, quòd in templis ſuis imagines ſtatuáſq;, & vt illi loquuntur, גלולים ועצבים,hoc eſt, Idola,Chriſtiani conſecrarint: cùm tamen non ignoremus in decem illis mandatis ſcriptum eſſe,

Trinitas à Iudæis non recepta.

De imaginibus tranſcurſus.

וגו׳

לא תעשה לך פסל וכל תמונה וגו׳. Non facies (inquit Dominus) tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, &c. Neſciunt homines tantopere in lege verſati, Deum grauiſsimis edictis prohibuiſſe, ne vllæ pingerentur aut fingerentur imagines, quarum vſus in עבודה זרה, hoc eſt, externum & alienum cultum transferretur. Quis verò tam malè de rebus iudicat, vt opinetur Deum in Sinai, hāc ſententiam decem illis verbis complexum fuiſſe, quæ fieri imagines vetet, à quibus cultum, & ſi quid eſt quod diuinitatem contingit, dimoueas, eáſque memoriæ conſeruandæ finibus contineas? Quis quæſo eum velut legis violatorem in inuidiam & crimē vocet, qui tabulis aut ſimulachris, opere vermiculato aut cælato vtitur ad ornatum ædium & villarum? quibus rebus quid ad animi voluptatem oculorúmque leuationem aptius eſſe poteſt? Quæ qui reprehendat, damnet etiam omnium mortalium ſapientiſsimum Salomonem, & primam illam Iudæorum Synagogam neceſſe eſt. Legimus enim inter varia illa templi opera, fabricatos fuiſſe duos Cherubim, imagines hominum alatorum, quorum alis arca illa fœderis tegebatur. Ab horum cultu, vt erat populus alieniſſimus, ita certè nullus tot ſeculis eſt inuentus, cuius pietas ab eiuſmodi opere ad offenſionem ſit deducta. Neque verò intelligunt Iudæi ita imagines in templa Chriſtianorum inuectas eſſe, vt in eis nihil præſidij, nihil diuinitatis ſtatuerent. Sed quemadmodum Reges Ægypti, & poſteà omnes ferè populi, in extruendis & locupletandis bibliothecis impenſè delectati

Exod. 20.

Exod. 20.

Reg. 3.

Cherubim.

ſunt, vt præclara illa omnium ſcientiarum monumenta, à viuis tanto cum ſtudio culta & obſeruata, tandem poſteritati commendarentur: ita his qui doctrinæ præſidiis non ſunt inſtructi, propoſitæ ſunt imagines, & quaſi muta quædam volumina, vt quod doctiſſimi homines à libris aucupantur, ij ab imaginibus & ſtatuis idem mutuarent. Accedit quòd & literati aliquem etiam ex illis fructum capiunt, & velut igniculis ad virtutem accenduntur. Quo in genere C. Cæſari Dictatori Alexandri ſtatua ad rerum geſtarum magnitudinem creditur eſſe ſuffragata. Ad quam quum nullis adhuc benefactis & triumphis clarus veniſſet, fertur collachrymaſſe. Et Themiſtocles quidem, cùm ad multam noctem in deambulatione eſſet inuentus, dicebat ſe Miltiadis trophæis & ſtatuis à ſomno excitari. His igitur, etſi (vt de Lacedęmoniis ſcribit Plato) ſatis à natura vincendi cupiditate eſſent inflammati, tamen quaſi ſponte currentibus magnorum virorum ſtatuæ ſtimulos addiderunt. Hęc etſi fortaſſe fuſius, in eo tamen ſunt, vt intelligant Iudæi nihil temere, nihil ignoranter de fide noſtra ſentiendum: neque prius ab ea alienos eſſe debere, quàm eam omnino didicerint. Putant igitur nos tres Deos colere. Et quemadmodum in rebus humanis perſpiciendis natura affert, vt pater filio ætate ſit prouectior, ita nos in ea ſententia eſſe opinantur, vt Patrem Deum Filio natu grandiorem iudicemus: cùm tamen Patrem, Filium & Spiritumſanctum ab æterno eſſe fides noſtra conſtantiſsimè aſſerat. Quod cùm nonnulli, noſtrarum forſan rerum

Cæſar. Sueton. in Cæſa. Dict.

Themiſtocles.

Lacedęmonij.

rum peritiores, persensissent (inter quos est Kimhi in his responsionibus, quas contra Christianos ad Psalmos edidit) mirari se aiunt, cur cùm vterque ex nostra sententia ab æterno sit, non potius Fratres, quàm Pater & Filius à nobis nuncupentur. Rudis certè & rei grauitate minimè digna sententia. Itaq; ignari homines numen illud præstantissimæ mentis, quo omnia hæc reguntur, & vniuersæ naturæ conditorem Deum, quem illi post Ezekielem, שדי, nostri Omnipotentem vocant, ad naturæ gyrum & rerum humanarum conuenientiam adducunt, & quibusdam velut cancellis imbecillitatis nostræ concludunt. Quòd si nos Trinitatis nomine tam malè accipiunt, nonne & planè idem in eorum libris videmus, qui Deum, אחד ולא יחיד, hoc est, vnum sed non vnicum profitentur. Et eò pertinere volunt ex nostris nonnulli, non ineptè mea quidem sententia, quòd passim in scriptura pluralitatis appellatione, Dominus אלהים, hoc est, Dij: non autem אלוה, Deus significatur: קדושים, Sancti, non autem קדוש, Sanctus, apud Hoseam designatur. Addunt præterea & illum Esaiæ locũ, vbi Angeli clara voce clamantes inducuntur, קדוש קדוש קדוש יי׳ צבאות, hoc est, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum: cuius nominis triplicem nuncupationem ad Trinitatem referunt. Neq; verò prætermittendum esse censeo, quod D. Hieronymus prodidit, tribus illis Angelis, qui ad quercum Mamre quondam Abrahamo visi sunt, nihil aliud portendi quàm Trinitatem. Huc pertinet quod & Elias filius Barachielis in libro Iob ita loquitur,

Saddai. Ezek. 1. Exod. 6.

In libro Tephilloth, id est, precationum.

Gene. 1. & vbique. Elohim. Eloah. Kedosim. Kados. Hos. 12. Esaia 6.

Hier. in Cantica.

Iob 33.

רוח אל עשתני ונשמת שדי תחיני, Spiritus (inquit) Dei fecit me,& ſpiraculum Omnipotentis vitam dedit mihi. Quo loco doctiſſimi quiq; in Deo Trinitatem probari opinantur. Nam per Deum, Patrem: per Omnipotentem,Filium: per Spiritum, Spiritumſanctum intelligi contendunt. Quod à Domino in monte Sinai apertiſſimis verbis demonſtratum eſt,vbi illis ſe triplici appellatione prædicat,

Exod.20. inquiens, אנכי יי׳ אלהיך אל קנא, hoc eſt,Ego Dominus, Deus tuus, Deus zelator. Quid verò aliud Salomonem ſenſiſſe coniectura ducimur,

Salo.parab.3. quum ait, יי׳ בחכמה יסד ארץ כונן שמים בתבונה, בדעתו תהומות תבקעו, hoc eſt, Dominus in ſapientia fundauit terram, ſtatuit cælos in Prudentia: in Scientia ſua abyſſi erumpunt. Potuítne vberius & ornatius tres illas virtutes verbis demõſtrare? Neq; enim vir tantus ſanctiſſimum illud Trinitatis my-

Parab. 30. ſterium videtur ignoraſſe, qui alibi ita dicit, Quis aſcendit in cælum atque deſcendit?Et rurſus,Quod nomen eius eſt,aut nomen filij eius? Ex quibus ſatis conſtare poteſt, ea quæ de Deo & Filio Dei à Chriſtianis copiosè pertractantur,non eſſe à diuinis literis aut aliena aut noua. Sed tamen his de rebus plura dicere, non eſt neque huius loci neque profeſſionis noſtræ. Digna certè res, quæ in doctiſſimos & diuinorum peritiſſimos quoſque reiiciatur: quam tamen neq; dicendo conſequi, nec ſatis cum dignitate queant explicare.Itaq; omnino decretum habebam, ea quæ de Trinitate recitantur ſilentio prætermittere.Sed tamen neſcio quo pacto ſic noſtra euolauit oratio,vt curſum eius ne ſenſerim quidem.

dem. Verùm ignoſces velim audaciæ noſtræ: tantúmq; innocentiæ meæ tribues, quantum ſummæ illius Homeri authoritati & doctrinę tribuiſſe Ariſtarchum legimus. Vt enim ille verſus, quos in Homero non probat, Homericos eſſe non cẽſet: ſic pro tua ſumma in me beneuolentia, quæ toto hoc libro ad animum tuum non pertinebunt, ne putato mea: eritque mihi quàm gratiſſimum, ſi quę non ex noſtrorum hominum ſententia videbuntur eſſe dicta, potius temeritati quàm opinioni aſcribantur. Quis eſt enim tam lynceus, qui in tantis tenebris nihil incurrat? *Ariſtarchus Homerus.*

Vt autem reliquo ſermoni operam demus, bene certè & appoſitè videbor mihi eſſe facturus, ſi ordinem ſcripturarum, quibus aduentum Chriſti firma & ſtabili ratione defendimus, ſecutus, totam hanc explicem de Meſſia ſententiam. Qua in re etſi minorem apud multos ineo gratiam, quod cum iis mihi ſuſcepta eſt concertatio, quibus (vt de municipibus ſuis dicebat Lucilius) plus ſapit palatum quàm cerebrum, quíque omnino à veritate & fide Chriſti ora auerterunt ſua : ad id tamen quod volebam cumulatè ſatisfactum eſſe iudicabo, ſi aliqua ratione, noſter tibi non ingratus labor ſit futurus. Omnino igitur Iudæi, veteres illas ſcripturas, ad quarum ſe authoritatem fidémque contulerunt, in ארבעה ועשרים, vt ipſi dicunt, hoc eſt, quatuor & viginti libros diſtribuunt. Ea illi ſcripta ſic habent in manibus, ita in illis verſantur, vt reliquum genus hominum tanquam in poſſeſſionem ſuam venerint, ab illis excludant, nobíſque *Secũda pars de Meſſia.* *Lucilius.*

ampliſſimum illud ſanctitatis patrimonium propemodum diripiant. Sed tamen quid eſt opus cum eis ex iure manuconſertum vel aliquo ſacramento contendere, qui rem ipſam & corpore & animo retinemus, quique dominium & iuris diuini & gentium titulis ſubnixum fouemus & defendimus? At illi Hebræum ſermonem (quem לשון הקודש, hoc eſt, linguam ſanctam vocant) à patribus acceptum, in ſuam gentilitatem depoſcunt. Sed cur non idem nobis facere licebit, qui hanc Chriſti fidem Apoſtolis lingua & natione Iudæis, acceptam debemus? quos animorum noſtrorum parentes appellemus licet, qui iſta præclara in nobis pepererunt. Hæc illis lingua ſi tam eſſet familiaris, vt eam penè cum lacte nutricis ſugere viderentur, lubens paterer hoc præſtantiſſimum Chriſtianorum congiarium ab inimicis noſtris inuadi. Sed cùm nullos in ea lingua progreſſus faciant, niſi multum operæ laboriſque ſumpſerint: cur non eodem iure vt propriam Chriſtiani vendicent, quibus licet, in eodem genere adhibito labore, peritiſsimis eſſe? Ex his igitur libris, qui nobis cum Iudæis communes ſunt, omnis erit mihi cum illis contentio. Etſi autem toto orationis curſu locis quibuſdam veris, & ad id quod volumus neceſsitate ducentibus vſuri ſumus: nonnullis etiam, qui ſe ſimilitudine quadam veri tueantur: liceat tamen nobis imitari Socraticos, qui inductionibus ſuis paulatim ad ſuſpicionem adducunt, tandémque efficiunt quod volunt. Et à primo illo Geneſeos libro, quem בראשית vocant, initio diſputationis ſumpto, reliquum

Socraticæ inductiones.

Gene.3. Breſith.

quum ſermonem ſerie ſcripturarum ſeruata, quantum res ipſa poſtulare videbitur, ad exitum perducemus. Iacientur igitur Meſsiæ & Chriſti noſtri fundamenta ex illo Geneſeos loco, vbi quum ſummo mortalium malo Adam & Heua edictum Dei violaſſent, & vterque inuidiam criminis à ſe depelleret, Heua totam hanc culpam in ſerpentem (quem illi סמאל, Samaël vocant) reiecit: cuius facti indignitate commotus Dominus, his verbis ſerpenti malè ominatus eſt: כי עשית זאת ארור אתה מכל הבהמה וגו׳ hoc eſt, Quia hoc feciſti, maledictus es præ omnibus animantibus. Addit præterea, ואיבה אשית בינך ובין האשה בין זרעך ובין זרעה והוא ישופך ראש· Quæ verba non præter rem à nobis Hebraicè citantur: in ſcripto enim controuerſia eſt. Ea autem etſi paulò diuerſius in communi editione Latinè reddita ſint: ſi tamen Hebraicam veritatem ſpectes, ita probè & fideliter tranſferantur, Et inimicitias ponam inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen eius, & ipſum conteret tibi caput tuum: Ipſum, ſcilicet ſemen mulieris. Quo loco Ieſus Chriſtus ex ſemine mulieris ſecundum carnem natus, ſignificatur, qui vt & ſerpenti imperaret, & homines ab illius ſeruitute liberaret, victoriæ ſe deuouit. Ex quo manifeſtum eſt, Meſsiam & Vnctum Dei, non ei muneri præfectum eſſe à Domino, vt Iudæos aut quoſuis alios de ſeruitute hominum in libertatem vocaret: ſed vt nos de imperio & velut ſerpentis poteſtate dimitteret, & parentis illius primi ſcelus nefarium, ſanguine ſuo expiaret. In qua ſententia ſeptuagin-

Geneſ.3.

Adam.

Heua.

Meßia partes.

Septuaginta interpretes.

ta interpretes fuisse vel ex eo cõstat, ꝙ pro eo quod vertimus ipsum, verterunt αὐτὸς, ipse, quanuis tamen anteà σπέρμα legatur, quæ relatio minimè cum eo quod antecedit genere conueniat. Verùm illi, etsi Iudæi essent, & florentissimis Iudæorum rebus nati, ad Messiam tamen locum hunc referunt: quanuis Rabi Salomon & quotquot sunt minorum gentium Rabini hanc Hebraicam relationem והוא, hoc est, & ipsum, vel, & ipse, ad Adamum traducant: deinde verò ad Heuam: quòd prius de Adamo fieri mentionem, quàm de Heua, dignitati sexus consentaneum esse videbatur. Ego verò sic statuo, etsi interpreti nostro aliter iudicatum sit, ea à Domino longè ante de Messia suo in fatis posita fuisse. Eóque spectasse Paulum homini bene sentienti probari potest, qui in epistola ad Romanos ita loquitur, ὁ δὲ θεὸς τῆς εἰρήνης συντρίψει τὸν Σατανᾶν ὑπὸ τοὺς πόδας ὑμῶν ἐν τάχει, hoc est, Deus autem pacis conteret Satanam sub pedibus vestris quàm ocyssimè. Existimauit certè vir præstantissimus & velut silentiarius Domini, summum illud in conterendo & conficiendo serpente animi elati munus non posse alteri cum dignitate, quàm ei qui diuinitatis est particeps ascribi. Hæc etsi parum authoritatis & ponderis apud Iudęos habitura sunt, qui literas nostras vt ignorant certè, ita vel ipso nomine oderunt: non committam tamen vt nostra nobis monumenta, minore esse loco, quàm sibi sua, cogitare possint. Quanquam fortasse illis petulantia & crudelitate concedimus, qui Euangelium à Gręcis mutuatum vocabulum (quo etiam

Paul. ad Rom. 16.

Iudæorum petulantia.

etiam Homerum antiquiſsimum poëtam, & Ciceronem vſos eſſe memoria repeto) velut Hebręum facientes, אונגיליון, vel עונגליון Auengilion, hoc eſt, vt illi interpretantur, reuelationem iniquitatis appellant. Itaque homines imperiti plurimum ſe ſtudij & gratiæ apud gentes inituros ſperant, ſi in ſumma rerum omnium & cauſæ deſperatione, in nos omni contumeliæ genere laſciuiant, & Seruatorem noſtrum תלוי ſuſpenſum, & prę ſtantiſſimam omnium fœminarum virginem Mariam חריה וזונה appellent. Qua re quid indignius, vt eos quos *ἀμύμονας* (vt ait Homerus) & inculpatos ſcias: quóſque propter rectæ actæ vitæ & benefactorum memoriam damnare nequeas, eorum cognominibus abutare ad conuitium. Sed tamen in eo genere iis nihil poteſt non licere, qui propter ſordes, quæ in luce omnium ſunt, & vitæ indignitatem, aliorum exiſtimationem in diſcrimen nequeunt adducere. Vt enim Hector ille Nęuianus laudari ſe magnopere ſibi placere ait; ſed addit, à laudato viro: ita ab improbis iniuria affici nemo vnquam malum aut miſerum duxerit, ne laudato quidem. Nobis certè idem in hoc ſermone in mentem venit, quod Æ. Scauro principi Senatus vſuueniſſe accepimus: qui cùm apud populum, quòd ſocios ad arma coëgiſſet, ageretur reus, venit ille quidem in concionem, non ſordidatus aut in veſte pulla: neq; ſibi motuũ, aut commiſerationis refertam orationem habendam eſſe iudicauit (quam non admodum diſſimili in cauſa anteà ſapientiſſimus Socrates, non ſecus quàm calceos Sicyonios amplitudini ſuæ minimè

Home. in Odyſſea.
Cice. in epiſt. ad Atticum.
Haria & Zona.
Hector apud Nęuium.
Scaurus.

conuenientes refutarat) ſed vt erat abundans togatis laudibus, nullo alio patrocinio, quàm ſplendore nominis ſui cauſam tutatus eſt: dum ille in publico populi conſeſſu ſic egit, Varius Sucronenſis Scaurum, quòd Latium & ſocios ad arma coëgerit, accuſat: Scaurus negat: vtri potius credendum putatis? Qua oratione omnium ſentẽtiis eſt abſolutus. Quod nobis idem in publica Iudæorum criminatione faciendum eſſet: quibus ſi negemus verbo, ſatis ipſa cauſæ æquitate ſuperiores futuri ſumus. Nulla enim eſt dignitatis ſiue honeſti laus, cuius non aliqua in Euangelicis libris reperiatur, non dicam adumbratio, ſed expreſſio: in quibus ſpeciem illam honeſti liceat nobis oculis forſan corporeis cernere. Sed tamen verendum eſt, ne incredibilem illam perfecti expectationem, quam audio etiam apud exteros populos Euangelium noſtrum concitaſſe, ſuſtinere non poſſimus: qui iam auaritia & reliquo vitiorum genere fracti, vel ipſa Euangelicæ veritatis præſtantia offendimur, omniáque Meſsiæ noſtri præcepta ad conſilium reuocamus: maximè verò in his quæ ad pecuniarum erogationes ſpectant, quas noſtri homines fugiunt quantùm poſſunt: poſſunt autem quum volunt: volunt certè ſemper. Sed ad Iudæos reuertamur. Alter igitur à nobis ſumetur locus ex Geneſi, vbi Abrahamo, quem ſibi Dominus in proprium cultum cooptarat, ſic loquens inducitur, ונברכו בך כל משפחות האדמה, & rurſum paulò pòſt, והתברכו בזרעך כל גויי הארץ, hoc eſt, Et benedicentur in ſemine tuo omnes nationes terræ. Quæ quæſo eſt tam auſpicat

Varius.

Chriſtiani nihil minus quàm Chriſtiani.

Gene. 12.

Gene. 22.

Ex ſemine Abrahami benedictio.

cata & tam felix Abrahamo à Deo deprecatio, vt propter illius ſemen omnibus gentibus bene eueniat, vniuersúmque genus humanum in non vulgarem benedictionis ſpem adducatur? An propter Iudæorum Rempublicam, quæ aliquando rerum potita eſt, tam diuturnos fructus orbis ſenſit? quæ certè anteà eſt deleta, quàm illius ad exteras nationes fama percrebuerit. Qua verò placabilitate & clementia in reliquos populos ſit vſa, ex veteribus illorum monumentis cõſtat: vt potius dici poſsit ab ea in vicinos omnes perniciem & vaſtitatem, quàm εὐλογίαν inuectam eſſe. At forſitan propter illorum Meſsiam toti orbi benedicetur: quo quid à reliquo omni eorum ſermone alienius eſſe poteſt? Is enim (vt aiunt) Romam excindet, omnia ferro & flammis miſcebit, erítque illi cum omnibus populis bellum fermè internecinum. Non igitur omnibus gentibus terræ feliciter & ex animo accidet, quæ tam graues illi pœnas daturæ ſunt. Quantò igitur noſtri melius, qui Ieſum Chriſtum indubitatum ſemen Abrahæ huius felicitatis & benedictionis authorem conſtituunt: quæ ab illo dimanata longè latéque ad omnes gentes peragrauit. Cuius natiuitate amœniſsimam lucem omnes hauſimus, expreſſimus, accepimus: illiúſque morte omnibus ſalus quæſita, data & parta eſt. Hic igitur ille eſt, Vnus qui nobis moriendo reſtituit rem: hic inquam ille, qui vt de eo belliſsimè dixit Eſaias, Verè labores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: & nos in liuore vulnerum illius ſalutem recepimus. Cuius tamen mortem optimus quiſq; beneuolen-

Crudelitas Meſsiæ Iudaici.

Chriſtus ſemen Abrahami.

Eſaiæ 53.

tia magis quàm miseratione prosequeretur. Quæ cùm ita sint, & toti orbi tam salutaria, cui tandem persuasum non est, eum ab Abrahamo genus ducentem omnibus populis benedictionem & sempiternum quoddam bonum attulisse? Aut cui non potius ille totius naturæ princeps, pro summa eius erga nos humanitate, vitam hãc morti simillimam cum immortalitate, quàm (vt Iudæi opinantur) breuem quandam seruitutem cum principatu & imperio commutasse videatur? Hic est igitur ille filius Abrahami, in quo benedicẽtur omnes gentes. Neq; enim cuiquam dubiũ videri potest, quin præstantis cuiusdam numinis dominatio, his verbis sit

Actuum 4. à Deo repræsentata. Quę res minimè à Petro Apostolo dissimulatione & silentio prætermissa est in ea oratione, quam frequenti Iudæorum consessu habuit. Id quod & Paulus in epistola ad Galatas mul-

Ad Galat 3. tis verbis est complexus, dum ait, τῷ δὲ ἀβραὰμ ἐρρήθησαν αἱ ἐπαγγελίαι καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ. οὐ λέγει, καὶ τοῖς σπέρμασιν, ὡς ἐπὶ πολλῶν, ἀλλ᾽ ὡς ἐφ᾽ ἑνὸς, καὶ τῷ σπέρματί σου, ὅς ἐστι χριστός. Ipsi Abraham, inquit, dictæ sunt promissiones illæ, & in semine illius. Neque dicit, in seminibus, tanquam de multis, sed vt de vno, & per semen tuum, qui est Christus: & quę

Opinio Iudæorum de Abrahamo. sequuntur. Quia verò ad Abrahamum oratione deuenimus, videatur huius temporis & loci, quæ Iudæi de Abrahamo sentiant exponere. In ea enim sunt opinione, vt credant Dei optimi maximi fidem meritis & Abrahami iustitia se obstrictam habere, eóque nomine quasi reliquatorem in tabulas suas conferunt: plura certè fidei & virtuti Abrahami

mi, quàm Dei ſtudio & benignitati tribuentes. Quia enim antiquitus ſe tanquam Deo acceptiſsimos, in arrogationem & gratiam eſſe receptos ex ſcripturis ſuis didicerunt, eóque genere omnium gentium luminibus planè obſtruxiſſe, iudicarunt rudes homines, aliqua ſua excellenti virtute Deum adductum, id generi ſuo beneficentię & humanitatis contuliſſe. Quod cùm planè perſpectum eſſet Ioanni Baptiſtæ, Phariſæos & Saducæos, qui ad eum ex Ieroſolyma frequentes veniebant, his verbis perſtingit, μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, πατέρα ἔχομεν τὸν ἀβραάμ. λέγω γὰρ ὑμῖν ὅτι δύναται ὁ θεὸς ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ ἀβραάμ. Iam non eſt, inquit, quod dicatis in vobiſmetipſis, Patrem habemus Abrahamum, dico enim vobis quòd poteſt Deus ex his lapidibus ipſi Abrahamo filios excitare: hæc ille. Qui enim homines nulla ſubiecta materia creauit, is ex lapidibus eos ad ſocietatem vitæ adducere nequeat? Tan tùm igitur omnes Iudæi Abrahamo tribuerunt, vt illis propemodum vtranq; paginam faciat, & communis ſalutis parens & author ab eis laudetur. Addunt Talmudæi, ex antro Trophonij credo, aut inferorum adytis nuper reuerſi, eum ad veſtibulum Gehennæ ſedere, animáſque illas Iudæorum, quæ propter vitæ anteactæ ſcelera, æternos inferorum cruciatus erant adituræ, ingreſſu prohibere, eiúſq; propemodum authoritate & vultu, ſuppliciorum & malefactorum pœnas ſontibus condonari. Ego verò etſi ſtatutum non habeam illius excellentem fidem, quo nomine in ſacris literis optimo iure

Ioan. Bapt. Matth. 3.

Abraham ſedens ad portã inferorum.

Gene. 15.

commendatur eleuare:egrè tamen adducor vt mihi persuadeam,eum quasi in partem iudicandi vocatum esse à summo Deo:qui omne iudicium Filio suo vnigenito concessit,qui regnat in secula seculorum. Non omnino dissimile iuris dicendi munus Romano Pontifici inuiderunt quidam, indignati opinor,quòd nonnulli clara voce,& firmissimis lateribus,omnem ei & ad eum,veluti lege Regia lata, translatam à Christo potestatem in Angelos & inferorum manes dicerent:quæ controuersia non mediocriter Ecclesiam nostram labefactauit, dum alij aliud sentiunt,vt est hominum genus ad dissentiendum facile, animíque omnium in diuersas sententias distrahuntur. Itaque cùm hæc ad Theologos spectent, non grauate patior in re tam graui, atque haud scio an omnium longè maxima, laudem mihi præripi iudicandi. Nostræ tamen erunt partes, precibus & reliquis pietatis officiis à Domino contendere,vt omnium Christianorum animos, opinionum & sententiarum similitudine deuinciat. Vt igitur è diuerticulo in viam redeam: iam non,vt aliâs, Iudæos ignauos & stupidos, sed sceleratos,& suo velut flagitio sibi placentes,rebus addicam necessariis. Cui enim vnquam sacrarum literarum vel mediocriter perito obscurum esse potuit,nisi facinoribus & animo de industria conniuente à veritate abducitur, spem venturi Mesiæ, secundi templi tempore in promissis positam esse?Quis in re tam clara,quæq; in oculis omnium populorum est,adeo cæcutit(nisi illi sit propositum omnia iura diuina & humana peruertere)vt à Mes-

Lex Regia.

ſia noſtro locupletiſsimum Iacobi Patriarchæ vaticinium remoueat? Is enim moriens, cùm filiis ſuis quæ illis eorúmque poſteris euentura erant prædiceret, cúmque omnium curiarum Iſraël fata, animi diuinatione longè anteferret, de Iuda (à quo & poſteà Iudæi dicti ſunt) ſic loquitur, לא יסור שבט מיהודה ומחוקק מבין רגליו עד כי יבא שילה והוא יקהת עמים׃ hoc eſt, Non recedet ſceptrum à Iuda, neque dux à lumbis eius, donec veniat Silo, & ipſe erit audientia populorum: vel, vt rabi Salomoni videtur, collectio. Atque in eo ferè eſt frequens Rabinorum ſchola, vt per Silo, Meſsiam intelligendum eſſe arbitrentur, idque, ordinem ducente Onkelos Caldæo paraphraſte: cuius tanta eſt apud Iudæos authoritas, vt nonnullis Hebræa in Caldęam linguā animo diuinationis tranſtuliſſe videatur. Liceat igitur nobis & tabulis obſignatis, & teſtibus omni exceptione maioribus cum Iudęis agere: qui locū hunc ad Meſsiam referentes, tamen ſunt à Chriſto noſtro alieni, & ſe penitus immutarunt illi. Cùm igitur confectis iam tot ſeculis, Iudæorum imperiū à tribu Iuda ad Herodē patre extero natum deceſſerit: immo & illorum Reſpublica funditus ſit deleta, Meſſiam veniſſe ſcripti neceſsitate adducimur. Cuius ad ea tempora appropinquare aduentum vaticinia teſtantur, cùm ab imperij maieſtate & regni gubernaculis Iudæorum Reſpublica concidiſſet. Siue igitur ſummo Pompei Magni in Senatum populúmque Romanum beneficio, Iudęorum opes corruerunt: qui quum Ieroſolymam expugnaſſet, captum Ariſtobulū Regem duxit in trium-

Iacobus Patriarcha.

Geneſ. 49.

Silo, hoc eſt, Meſsias.

Onkelos Cald. Para.

Herodes externus.

Pompeius Magnus.

Ariſtobulus Rex Iudæorum captus.

phum: ſiue ad Herodem patre Antipatro Idumæo, & matre Arabica natum teipſum referas: qui in Triumuiratu Auguſti Cæſaris. & M. Antonij Rex Iudęæ appellatus eſt, & ſcriptum illud quondam à Moſe patrum concilium (quos סנהדרין vocant) funditus deleuit: ſiue vltimam illam rebus iam deſperatis Iudæorum direptionem mediteris, efficitur ad illa tempora Meſſiam veniſſe, quibus omnino è memoria vitáque hominum principatus ille eſt exciſus. Hæc in luce omnium poſita cùm Iudæi nulla ratione poſſent diffiteri, Rempublicam quandam in montibus חלח וחבור, Halah & Habor, vel potius in ὑτοπίᾳ effinxerunt ſibi, imitati opinor Platonem, qui non eam quæ aliquando fuiſſet, ſed quàm animo cernebat Rempublicam multis libris depinxit. In ea Reges de tribu Iuda principatum habere, & vetus illud Iudaici regni patrimonium retinere cenſuerunt: vt præſtantiſſimam illam Iacob patriarchæ diuinationem nobis velut è manibus excuterent, eámque in laxiorem diem reiicerent. Quę res, vt indoctę Iudæorum multitudini, quę in Occidẽte manet, probabilior videretur, imitati ſunt Pythium illum vatem, qui in reſponſis & præſenſionibus ſuis ita ſibi cauebat, vt quo ſe cunque res vertiſſet, mendacij accuſationem poſſet elidere. Sic illi vt ſequacibus & alumnis diſciplinæ ſuæ facilioribus vterentur, inter terram continentem & præaltos illos montes, quendam veluti Boſphorum ſtatuerunt, per quem nauigare poſſet nemo, niſi ſacro Sabbati die, quo duæ mirandæ magnitudinis arbores (quarum vna in illis montibus, altera in terra citim.

Senatus à Moſe inſtitutus.
Sanhedrin.
Commentum Rabinorum.
Halah & Habor.
Pythius vates.

citima nobis posita est) se mutuò complexæ, ad illum locum aditum præbent. Vnde fit, vt quia ipso Sabbati die iter aggredi Iudæi religione impediuntur, nullus tot seculis inter eos sit inuentus, qui tam stultum Reipublicę nuper constitutę decretum ausus sit abrogare, aut illius fidem ne verbo ipso imminuere. Flexibile certè genus hominum, qui istis Rabinorum somniis ignauiæ suæ verba dari nondum didicerunt. Verùm quæ à nobis iusta suscipietur cum eis certandi ratio, qui in ea sunt hæresi, quę potius Talmudæorum scita & responsa sequitur, quàm authenticum Mosaicæ legis? Sed tamen miror egregios Cabalistas, & diuinorum interpretes, tam multa de absconditis illis Dei mysteriis disputare, terræ autem interualla & dimensiones, nauigationibus & Cosmographorum libris omnibus notas, ignorare. Ridiculum profectò commenti genus in his ipsis mentiri, quæ vt sunt oculis omnium mortalium subiecta, ita horum fides ab indoctissimo quoque deprehendi potest. Ego verò si ei consilio essem adhibitus, quo Iudæi spatiis & sermonibus suis Rempublicam sibi in monte Habor statuerunt, id egissem, vt quam in Caspiis montibus nimiùm vicino loco, illi extremo terrarum orbe Rempublicam collocarent: quæ res & probabilior fuisset, seque itinerum difficultate satis ipsa tueretur. Alij verò, magis opinor suo quàm aliorum iudicio sapientes, cùm viderent tam nouam, & in eorum synagogis natam Rempublicam diutius defendi non posse; aliò confugerunt, & contra veritatem lectionis, absurdam & ex professo falsam expli- *Alia interpretatio.*

F

cationem ad illum locum attulerunt. De qua etsi forsitan ægrè iudicabunt ij, qui Hebraicè non nouerunt, id tamen enitar maximè, vt quoad eius fieri possit, tota res sub sensum veniat. Cùm igitur cernerent (vt nihil est tam aut clausum aut obsignatum quod longinquitas temporis in lucem non deferat) iam temporum beneficio id nobis partum esse, vt nullam hodie Rempublicam Iudæorum extare, fermè totius orbis testimonio comprobaretur, à maioribus suis defecerunt punctorúmque & accentuum contempta ratione, ita hunc locum legendum esse existimauerunt, לא יסור שבט מיהודה, ומחוקק מבין רגליו עד׳ hoc est, vt illis ego interpretem agam, Non auferetur sceptrum de Iuda, aut dux de femore eius in æternum: idque vno contextu, subiiciunt præterea, כי יבא שילה׳, id est, Quoniam veniet Silo, qui erit audientia populorum. Quod certè tralatitium esse nemo non videt. Licet enim hęc particula עד, Ad, Hebręis aliquando, in æternum, sonet: nulli tamen ex accentibus obscurum esse potest multò aliter legendum esse, eásque particulas עד כי, quasi vno spiritu efferendas, quæ simul connexæ (vt infinitis propemodum sacræ scripturæ locis comprobatur) verbum verbo reddentes, vsque ad, vel donec, signant. Quòd si quilibet hanc sibi concessam esse licentiã existimet, in sacra scriptura accentuũ rationem non sequi, quam tot seculis confirmata hominum opinio tam sanctè & religiosè comprobauit, verendum est ne illius ex singulorum sensu deprauatis locis quid sequamur non habeamus. Sed tamen ne nostram interpretat

Ad Ki.

tationem neotericam & velut proxima fœtura apud Christianos natam admirentur, consulant Caldæum Paraphrastem suum, ad quem, si quid in Hebręis codicibus, verborum angustiis paulò compendiosius premitur, à Iudæis receptus esse solet: in eo sic legitur, לא יעדי עביד שולטן מדבית יהודה וספרא מבני בנוהי עד עלמא עד דייתי משיחא דדיליה היא מלכותא׃ hoc est, Non tolletur habens principatum de domo Iuda, & Scriba de filiis filiorum eius in æternum, donec veniat Messias, cuius est illud regnum. Itaque suspicione adducor, vt existimem septuaginta interpretes idem verbis, licet obscurius, esse complexos. Etsi enim Ptolomæum Regem de multis rebus (vt testatur D. Hieronymus) celatum voluerunt: satis tamen eam partem videntur attigisse, dum ita inquiunt, οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ ἰούδα, καὶ ἡγούμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ, ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ: Non cessabit (inquiunt) Princeps de Iuda, neque Dux ex femore eius, donec veniant constituta illi. Si ergo aliquis, eorum euentorum rationem putare velit, quę non solùm Regi Iudæ, sed vniuersæ etiam Iudęæ in fatis erant posita, nihil aut magnificentius aut expetendum magis toto illo scripturarum contextu promissum repeериet Messia ipso: qui aliquando communis salutis vindex existeret: quo tamen veniente Iudæorum principatus omnino concideret. Iam verò, vt ad ea testimonia veniamus, quibus Iudæi futuri illius florētissimi Imperij quoddam veluti simulachrum dicunt se cernere, cuius tot seculis ad posteros dimanauit expectatio, q̄uo tandem nomine tam no-

Caldæus Paraphrastes.

Gene. 49.

bis ſunt moleſti, & quid illi afferre poſſunt, cur Seruatoris noſtri aduentus non præſtantiſſima illa Moſis diuinatione repræſentatus eſſe videatur?

Serpẽs à Moſe elatus. Numeri 21. Omitto verò ſerpentem illum æneum, à Moſe ex præcepto Domini in crucem ſublatum, in quem qui oculos conuertiſſet, præſentiſſimum & certiſſimum contra ignitos ſerpentium morſus remedium ſentiebat. Quod ſpectaculi genus ad Meſſiam referri neſcit nemo: qui ſe crucis morti deuouens, eos omnes qui illi nomina dediſſent, à morte liberauit: vt etiam ille ipſe de ſe teſtatur, in-

Ioan. 3. quiens, καὶ καθὼς Μωσῆς ὕψωσε τὸν ὄφιν ἐν τῇ ἐρήμῳ, οὕτως ὑψωθῆναι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν μὴ ἀπόλυται, ἀλλὰ ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον. Et quemadmodum Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ait, ſic neceſſe eſt eleuari Filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed vitam

Vaticinium Balabam. Numeri 24. æternam conſequatur. Taceo verò & veriſſimum illud Balaham filij Beor de Chriſto vaticinium: qui à Balac Moabitarum Rege accerſitus, vt populo Iſraël malè ominaretur, illi ex Domini præſcripto omnia bene & feliciter euenire precatus

Apocal. 22. eſt, & ortum clariſsimi illius ſyderis ex domo Iacob tot ante ſeculis præuidit. Hoc aliquando omnium ferè gentium fama conſentiens ad Chriſtum retulit, qui ſedentibus (vt ait ille) in regione

Eſa. 9. vmbræ mortis, ſalutaris & proſper illuxit. Nunc verò & Chriſtianornm negligentia & inter ſe odiis flagrantibus tanta de Imperio Chriſtiano facta eſt diminutio, vt verendum ſit, ne ea quæ vixdum tenemus, nobis continuò è manibus excidant. Atq;

vtinam, vt de ſe etiam belliſsimè dicit Heſiodus, *Heſiodus.*
aut ante omnino fuiſſem extinctus, aut etiam ad alia tempora meipſum Fortuna ſeruaſſet: quibus ex tam multis extitiſſet vnus, qui ſaluberrimum conſtituendæ Christianæ Reipublicæ decretum perſcribere voluiſſet. *Querela temporum ſuorũ.* Quia tamen hanc nobis felicitatem fata inuiderunt, vt qui omnium ordinum ſententiis Dictator erat appellatus, qui Chriſtianos omnes cæde, & vniuerſam Europam more maiorum bello liberaret, is ad extremũ verterit omnia, & ſocios amicóſque Reges & eorum prouincias conſiliis ſuis perturbarit, ſcriptíſque ad perniciem Turcarum exercitibus, Chriſtianorum opes attriuerit: non grauatè patior in eo me temporum errore verſari, vt quia nulla eum res ad æquitatem animi poteſt adducere, cum eo ita bellum ſuſcipiatur, quemadmodũ ipſi populo Romano cũ Celtiberis & Cymbris fuit: à quibus nõ dignitatis & gloriæ, ſed fortunarum & capitis certamen inibatur, magíſque vter eſſet, quàm vter imperaret. Quem enim neque liberalis principum animus, neque moderatio impellit: qui ad conuentus habendos ſuper his terris, quas nullo iure tenet, legationibus inuitari non poteſt: qui mortuorũ ducum cõtrouerſias redimit: qui ſcelere ſeruorum ad veneficia vtitur, vt infames victorias, quas etiã vltrò oblatas Romani ad ſe pertinere noluerunt, famæ ſuæ adiungat: qui delectas ex tota Italia copias à potentiſsimis quibuſque ſibi ſubſidio miſſas, vt qui rebus in religione nouandis ſtudebãt, in fide Eccleſiæ retinerẽtur, ad domeſticam vtilitatem & cauſam bonorum tra

duxit:qui vicinorum Regna tanquam ex commiſſo tenet, cuius auus paternus in eadem conſilij ſocietate verſabatur:cum eo quæ poteſt ſuſcipi iniuſta pugnandi ratio? Quòd ſi aliquis patriæ forſan amãtiſsimus,tam à veritate abducitur,vt alicui principi non cõcedat, quibuſcunq; rebus facere poſſit, illius iniurias à ſe propulſare, & conducta Barbarorum auxilia in tam capitalem hoſtẽ habere propemodum ad religionem vertat: nefas forſitan exiſtimet peltis,ſcorpionibus, muricibus, arcu illo Scythico,aut aliis militaribus inſtrumentis in prœliis ineundis vti. Quis enim eſt tam expers humanitatis qui non anteponat hominem Turcam aut quantumvis alienum à fide Chriſti, impedimentis illis belli: quibus ſi optimus quiſque in acie vtitur, cur non idem in Turcis facere licebit,quorum corporibus tam iniqui hoſtis aditus intercludatur, vt illius iniuriæ totius orbis teſtimonio iudicentur? Neque verò(niſi magnitudo rei cohibet aſſentionẽ noſtram)in communibus miſeriis tam parùm videmus,vt calamitas eorum qui à Barbaris capti apud eos in deditionem veniunt, nihilo nos cõmoueat. Sed non ſit forſitan reprehendendum,eos,quos religionis ratio hoſtes eſſe voluerat, contra eum ſocios belli habere, qui coniunctiſsimos quoſq; pro hoſtibus ſemper habuiſſet,& domicilium orbis terrarum ad deditionem compuliſſet, eóque capto triumphaſſet,ſine quo maiores noſtri nullum vnquam Occidentis Imperatorem eſſe voluerũt. Qui ſi de his terris, quas nullo alio iure tenet, quàm quòd ad rem ſuam faciunt,iudicio diſceptare voluiſ-

luiſſet,& paci,quæ nihil inſidiarum eſſet habitura, conſuluiſſet,fatendum eſt,Chriſtianis non tam acceſſionem quærendam, quam fortunam metuendam fuiſſe:qui tamen duo illa florentiſſima Imperia & trigintaſex plus minus Regna perdiderunt. His certè amiſſis Regnis,& prouinciis Chriſtianorum conquaſſatis, in ſpem veniunt Iudæi Meſsiæ aduentum appropinquare, quem præſtantiſsimus ille vates & legiſlator Moſes vēturum in Deuteronomio prædixerat. Quæ res multò aliter quàm ſperant ceſſura eſt. nam quid in præclara illa diuinatione reperias, quod non ad Meſsiam noſtrū tranſferre poſsis? נביא מקרבך מאחיך כמוני יקים לך יי׳ אלהיך אליו תשמעון׳ Prophetam (inquit) de medio tui & fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Deus,ipſum audietis: Quomodo ergo Prophetam Ieſum Chriſtū neges,qui rebus geſtis & prodigiis ſuis veteres illos Prophetas longè ſuperauit? Cuius enim magis teſtata vniuerſo populo virtus fuit, vt tot mortuos ad vitam reuocaret? Cui vnquam à Deo tantum gratiæ & diuinitatis tributum eſt, vt tot languentes & corporis doloribus planè confectos ſanitati reſtitueret? Quis tot ſyderatos, & à dæmonibus actos ad mentis æquitatem deduxit vnquam? Quis maioribus miraculis legationem ſuam confirmauit?quæ vniuerſum orbem non ſolùm fama ſed venaratione peruaſerunt. Ea certè cùm Pilatus non ſine religione admiraretur, literis cum Tiberio Cæſare egit, vt Seruator noſter id temporis Ieroſolymæ prodigiis florens, in numerum Deorum,quos merita in cælum vocauerant,

Deuter. 18. Chriſtus in lege præſignificatus.

Pilatus. Tiber. Cæſar. Tertullianus in Apolog.

referretur, curarétq; vt Romani sacris Christianorũ, quos præstãtes pietate & iustitia asserebat, initiarentur. Quã rem cùm Tiberius summa cõtentione à Senatu peteret, nõ peruicit: quòd his literis authoritatẽ suã minui Senatus diceret, molestéque ferret, prius Cæsarẽ, quàm se de ea re cõsultũ esse. Hęc igitur homines à vero Dei cultu alienissimi, sola prodigiorũ fama incitati, testimonia æqualibus suis prodiderũt. Quibus autẽ verus ille Mesias & scriptorũ consuetudine, & prodigiorũ vsu familiarior & notior esse debebat, ij cũ omnino à se repudiarunt. Atq; vt ab eius rebus gestis & signis diuinitatem excluderent, illum מכשף, hoc est, magum & veneficũ fuisse contendũt, magiámq; & id diuinationis genus didicisse quũ adhuc infans in Ægypto ageret. Addũt pręterea cũ volandi peritissimũ fuisse, eóq; genere quũ à Iudęis ad supplicium peteretur, multoties sibi salutem parasse. Cùm autẽ (inquiunt) forte fortuna per aërẽ volitaret, Iudas Iscariotes volatu ad eum perrexit, illúmq; manu prehensum in terrã deiecit, atque ita à Iudæis, qui ad id spectaculum conuenerãt, captus, cruce vitã finiuit. Hęc illi à Rabinis accepta, in conuentibus suis cũ antiquitatis & rerum domesticarũ inscientia, tum animo de industria mentiente effinxerunt: vt ea miracula externis etiã populis satis perspecta, conuitiandi licentia eleuarent. Sed quemadmodũ Diogenes puerũ à se in caupona deprehẽsum, qui verecũdans in interiorem diętam se abduxisset, salsè perstrinxit, indicãs frustra illũ intrò fugere, quòd quò interius se abdidisset, hoc esset in caupona magis. Sic homines isti quò in maledicendo

Mendacium Rabino. de Iesu.

Aliud.

Iudas Iscariotes.

Diogenes.

do erunt licentiores, hoc erunt in sordibus magis magísque, & à causæ æquitate & popularibus studiis alieniores. Si enim tantam causæ & æquitatis suæ fiduciam habent, quid quæso opus erat, ea quę omnibus populis nota sunt, fabularum commentis deturpare, & quæ vel ipse Mahumetes quíque illius sequaces sunt, testimonio comprobarunt suo, tragœdiarum inuolucris tegere, nósque hac mentiendi licentia, apud reliquos populos à beneuolentia ad odium deducere? Sed veritatis (vt ait ille) simplex est oratio, satísque contra hominum calumnias & conuitia ipsa sese tuetur & defendit. Itaque ex nostris hominibus inuentus est nemo, qui confictis in eos mendaciis aliquid patrocinij causæ nostræ accedere iudicaret: quòd iustitia satis ipsa suffragetur sibi, neque in amplißimum illum Rhetorum campum patronos suos euagari sinat. Iam verò illi ita eminus nobiscum conuitiis contendunt suis, vt non reiecto solùm, sed penitus abiecto scuto, pugnare videantur. Nos verò ne à scripto recedamus: ait lex, Prophetam de gente tua & fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Deus, &c. Iam Christum de gente & familia Iudæorum fuisse omnes gentes consentiunt, atque adeò confitentur ipsi. Nam veriti Rabini ne inter eos qui sunt simpliciores, tam tarda Meßię sui mora offenderētur, néue illi quum fastidio confecti, tam diuturnum desyderium ferre non possent, ad defectionem essent faciliores, causas huius moræ & deserti à Messia suo vadimonij rudioribus se probaturos iudicauerunt, si huius calamitatis (vt aiunt) authorem Christum nostrum.

Veritas.

Deut. 18.

Causa tardātis Messiæ secundum Iudæos.

citarent,& in eum totam hanc culpam reiicerent. Nam & quòd ipse Iudæus fuerit, & multos etiam ex eadem gente in societatem religionis adduxerit, tantum hoc bonum pro flagitio totius nationis habent. Qua re ita Deum ira exarsisse in eam gentem ominantur, vt diuturniorem ei captiuitatem indixerit, & aduentum Messiæ, iustósque illos comitiatus ad hæc vsque tempora sit remoratus. Quæ quàm sint vera, scient illi, atque adeò hi qui eum pupugerunt. Ex his igitur vel eorum confessione manifestum est, Messiam nostrum Iudæum fuisse, & ex eorum gente secundum carnem genus traxisse. Subdit prætereà Moses, Similem mei. In quo si ad humanum illud Christi corpus animo conuertaris, apposite eum Mosi similem possis prædicare. Vt enim Moses forma conspicuus, & omnium clementia facilè princeps, populum Dei à turpi seruitute liberauit, illique ex animo Domini, legis rogationem tulit: sic Seruator noster Iesus Christus, in cuius corpore vniuersæ partes tanto cum lepore consentiebant, vt eorum quibuscum viuebat, oculos delectaret & moueret, veteris legis vmbris ad veritatem traductis, sanctissimam & mansuetudinis plenissimam legem promulgauit, non Iudæis tantùm, sed omnibus iis qui se in eodem equo includi non recusarent: neque quicquam in vulgus edidit, quod non à Patre & totius naturæ Deo accepisset. Quia autem multi falsò & mutato Dei nomine, se Prophetas mentiuntur, in eo quem supra citauimus loco, Dominus illos ita probari posse ait, vt quòd Propheta quispiam in nomi-

Apocalyp. 1.

Iesus ex Iudæa.

Exod. 2.
Nume. 12.

ne

ne Dei longè antè futurum animo præſagierit, ſi illud non accidat, omnium ſententiis falſus Propheta iudicetur. Quid igitur euenturum aliquando Ieſus Chriſtus prædixit, quod non idem quoque euenerit? Diuinauit ille quidem Ieroſolymam, vrbem totius Orientis (ſi Plinio credimus) pulcherrimam deletam iri, non certè vt Homerus Calchantem Troiæ excidium ex pullis à ſerpente deuoratis augurantem facit, ſed diuina illa rerum futurarum præſcientia, qua omnes omnium temporum progreſſus agitando complectitur. Quid igitur Iudæi afferre poſſunt, cur non ad ſanctiſsimam legis ſponſionem Seruator noſter pertinere videatur? At alio loco Moſes ait, כי יסיתך אחיך בן אמך או בנך או בתך או אשת אשר בחיקך או רעך אשר כנפשך & בסתר לאמר נלכה ונעבדה אלהים אחרים׳ posteà, לא תחמול ולא תכסה עליו כי הרוג תהרגנו hoc eſt, Si te impulerit frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, aut filia tua, aut vxor quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus tuus, qui tibi vt anima tua æquè charus eſt, clàm dicens, Eamus, ſeruiamus Diis alienis, non miſerebetis eius, ſed ſtatim interficies: hæc ille. Talia perpetraſſe Seruatorem noſtrum ſcriptis ſuis, ideóque ex lege iuſtè extrema paſſum contendunt. A quibus quàm longiſsimè abfuerit, videamus. Iam enim lex de eo loquitur, qui clàm & furtim neceſſarium ſuum de lege ad impietatem deduxerit, aut ad externos Idolorum cultus incitarit. Hæc qua ratione à Seruatore noſtro facta eſſe poſſunt affirmare, qui tam frequenti ſemper ſynagoga docuit, vt nunquam ei iudices & corona

Calchas augur.

Deuter. 13.

Falsa criminatio.

defuerint? Præterea vt de se ipse cumulatissimè testatur, Non veni soluere legem, sed ad religionem vsque seruare. Hîc dictu certè difficile est, quantos clamores faciunt Iudæi, qui maiorem in modum mirantur, quomodo tandem se Iesus Christus exactissimum legis obseruatorem audeat prædicare, qui ex èa nonnulla sustulerit: cùm tamen scriptum reperiamus, כל המצוה אשר אנכי מצוך היום תשמרון לעשות לא תוסיף עליו ולא תגרע ממנו· hoc est, Omne præceptum quod ego hodie præscribo vobis, obseruate vt faciatis: non addes ad illud neque diminues de eo. Vt autem eum & violatorem & desertorem legis inter reos deferant, adiiciunt ab eo Circuncisionem in lege sua dissimulatione prætermissam esse, diémque Sabbati in Dominicum translatum: cùm tamen sit lege cautum, ביום השמיני ימול כל בשר ערלתו, hoc est, Octauo die circũcidetur caro præputij. Itẽ alio legis capitulo, זכור את יום השבת לקדשו, Memineris (inquit) diem Sabbati sacrosanctum habere. Sed quid facias illis hominibus qui sanctissima quæque, ad בשר ודם, vt ipsi loquuntur, hoc est, ad carnem & sanguinem referunt: & qui tantùm naturæ inuiderũt suæ, vt vel præstantissima animi bona sensuum iudicio metiantur? Atque vtinam scirent homines imperiti, nihil eorum quę legis sunt à Domino prętermissum esse, qui omnia sanctè piéque coluerit, publicísque concionibus quę illius sunt capita summa seruare docuerit. Quanquam quis est tam rudis, qui conditorem legis, illius antiquandæ ius habere neget? Itaque audiant Esaiam de lege Messiæ verba

Matth.5. Iesus legis obseruator.

Deut.4.

Ge.17. & 24. Leuit.12.

Exo.20.

Temperatio veteris legis à Iesu facta.

verba facientem , לא יכהה ולא ירוץ עד ישים
בארץ משפט ולתורתו איים ייחלו׃ Non festinabit, *Esa.42.*
neque curret, donec ponat in terra iudicium:& le-
gem eius insulę expectabunt. Quæ cùm quibus-
dam Talmudæis altius animo insedissent , opinati
sunt fore,vt lex Mesiæ omnibus modis Mosaicæ
antecelleret. Eôdem fortasse spectat quod & Mi- *Mich.4.*
chæas scribit , כי מציון תצא תורה ודבר יהוה
מירושלם׃ Quoniam de Sion exibit lex,& sermo
Dei ex Ierusalem. Ex quo satis ostenditur si non
nouam,at certè Mosaicæ legi non omnino similem
à Messia promulgādam iri.Existimauit igitur sum-
mus ille Messias & præstantissimus Legislator,non
esse à lege discessionem facere,si relictis quibusdam
formulis,quæ sunt in lege summa & præcipua do-
ceret, hominésque ipsos remotis inuolucris,sola ve
ritatis specie retineret. Cúmque offendisset Iudai-
cum populum propè iam desipientem senectute,
& spretis pietatis & reliquarum virtutum ornamen
tis totum in victimis, mundo & polluto, ciborum
delectu, & id genus Pontificum notis occupari, in
lege ferenda potior & antiquior ei valetudinis &
viriū ratio,quàm cutis & coloris fuit:ídque specta-
uit maximè, vt plenam roboris & neruorum le-
gem posteris promulgaret. Atque id ne Iudæi tan- *Immutatio le-*
quam neotericum admirentur,audiant quæso Ie- *gis à Prophe-*
remiam suum , הנה ימים באים נאם יי׳ וכרתי *tis præsentita*
את ישראל ואת יהודה ברית חדשה ולא *Iere.31.*
כברית אשר כרתי את אבותם כי זאת הברית אשר
אכרות אחרי הימים ההם נתתי את תורתי
בקרבכם ועל לבם׳ אכתבנה׃ hoc est,En succes

ſu temporum (dicit Dominus) percutiam cum Iſraël & Iehuda fœdus nouum, neq; ſimile fœderi illi quod pepigi cũ patribus eorum : quoniam hoc eſt fœdus quod cum illis feriam futuris tẽporibus, ponam legem meã in viſceribus eorum & in corde deſcribam eam. Potuítne Dominus & clarius & locupletius nõnullas legis immutationes ſignificare? Itaque quæ antiqua illa lege vmbris & ſimulachris potiſſimùm continebantur, ea Seruator noſter ad veritatem reuocauit, & corpoream illam Circunciſionem ad animum retulit. Quid eſt igitur quòd neceſſitatem Circunciſionis nobis à Meſſia noſtro condonatam tantopere ægrè ferant: cùm ſcriptis ſuis proditum non ignorent fore aliquando, vt nouo fœdere apud Deum in fidem & amicitiã veniant, & nonnulla ex lege immutentur? Quanquam immutare non dicitur, qui in melius transfert. Atque vt nulli non clarum videri poſſit Prophetas ferè omnes huic commutationi (ſi tamen immutatio dicenda eſt) cumulatè teſtimonium reddidiſſe: & eam longè antè diuinationibus ſuis eſſe complexos: videmus tam multas in lege ſacrificiorum & oblationum cautiones eſſe, quæ tamen à Deo optimo maximo per interpretes Prophetas refutantur. Legant ergo Danielem de Meſſia loquentem eo loco, וחצי השבוע׳ ישבית זבח ומנחה, Per dimidiũ (inquit) hebdomadis abrogabit victimam & oblationem. Quod manifeſtiſſimè Amos ſcribit perſonam Domini agẽs, שנאתי מאסתי חגיכם ולא אריח בעצרותיכם וכו׳ Odio habui (ait) & repuli feſta veſtra, & ſolẽnitates veſtrę nihilo placuerũt mihi.

Sacrificium corporeum à Deo reiectũ.

Dan. 9.

Amos 5.

Quid

Quid in Hoſea aliud dicit Dominus? חסד חפצתי Hoſe.5. Math.9.
ולא זבח ודעת יי׳ מעולות׃ Miſericordia (inquit ille)
ad animum meũ pertinet pluſquam oblatio, & no-
titia Dei magis quàm holocauſta. neq; enim ex vi-
ctimis & ſuffitu pietatis argumentũ quęritur: ſed a-
nimus ipſe qui in homine principatũ tenet, omnia
ſancta & præclara parit, in quo ſi qua macula con
cepta eſt, fruſtra ex victimis placabilitas & venia
quæritur. Id quod & Eſaias teſtatur his verbis, למה Eſa.1.
לי רוב זבחיכם אמר יי׳ שבעתי עולות אילים וחלב Iere.7.
מריאים׃ Et paulò pòſt, חדלו מעלליכם הסירו רע
הרע׃ hoc eſt, Quorſum mihi cumulus ſacrificiorũ
veſtroũ? dicit Dominus. ſatiatus ſum holocauſto-
matis arietum & pinguedine ſaginatorum: aufer-
te malum operum veſtrorum, modum ponite ma
lefactis. Et rurſus, קטרת תועבה היא לי, Incenſum Eſa.1.
(inquit) abominatio mihi eſt. Ex his ignorat nul-
lus, non in victimis ſed rectefactis homini ſapien-
ti ſtatuendum eſſe præſidium: longéque nos ſtu-
diis virtutis, quàm victimarum liberalitate Deo
acceptiores eſſe. Atque adeò totius religionis ca-
put eſt, & quod omnia ſacrificia dignitate ſuperat,
cor contritum & humile, vt inquit Pſalmiſtes Da- Cor fractũ ſacrificium Deo.
uid, זבחי אלהים רוח נשברה, Sacrificia Domini
animus fractus: Et paulò antè, כי לא תחפץ זבח Pſal.51.
ואתנה עולה לא תרצה׃ Quoniam non accepta ha-
bes ſacrificia, dediſſem enim: neque in holocauſto-
matis places tibi. Et apertius quidem apud Eſaiam
Dominus luxum illum & molles templi Iudaici
honores ſibi non magnopere probari ait: præ-
tereà ſubdit, In quem ergo contuebor, niſi in Eſa.66.

afflictum & animo fractum, timentémque sermones meos? Quocirca si mihi gentium mores in re tam graui citare per Iudæos liceat, sapienter sanè à Romanis hæc lex in duodecim tabulas relata est, Ad Diuos adeunto castè, pietatem adhibento, opes amouento: qui secus faxit, Deus ipse vindex erit. Nam si diuitum & pauperum apud Dominum vna ratio est, cur sumptu in sacris adhibito tenuiores Dei aditu arceamus? Quid enim tam contra diuinam illam mentem esse potest, quàm non omnibus ad religionem iter patere? Addunt & aliud legis capitulum Iudæis forsan paulò durius, Impius ne audeto placare donis iram Deorum: quod cum religione nostra mirè coniunctum quispiam non ineptè existimarit. Quòd si vetera illa sacrarum literarum monumenta satis nobis ob oculos proponunt, etiam tempore legis holocaustomata Deo velut stomachum fecisse, quid tam Messiæ nostro molesti sunt, quòd illam necessitatem temporibus permiserit, & corporeas adorationes animo solo statuerit? Patiantur quæso, nos tantum iudicij & authoritatis Seruatori nostro tribuere, quantum veteres illorum Rabini venturo Messiæ detulerunt, cuius temporibus omnia sacrificia finem acceptura scribunt, præter התודה, hoc est, sacrificium laudis & confessionis. Quæ igitur tanta est in lege nostra commutatio, quam illi amplitudini Messiæ sui non concesserint? Quia enim reliquias Israël quas offenderit venturus ille Messias, à peccatis alienissimas fore contendunt (in cuius rei probationem citant quod scriptum est, והיה

Duodecim tabulæ.

Sacrificia finienda tempore Messiæ Iud.

הנשאר בציון והנותר בירושלם קדוש יאמר לו· *Esaiæ 4.*
Et eueniet (inquit) vt qui erit reliquus in Sion & *Omnes probi*
ſuperſtes in Ieruſalem, ſanctus vocetur: exiſtima- *tempore Meſ*
runt ſacrificandi legem illis dictam non eſſe, qui to- *ſiæ.*
tis animis in virtutem incumberent, & ex bene actę
vitæ innocentia, ſatis apud Dominum partes ſuas
tutarentur. Atque hæc noſtra ſententia non me-
diocriter à R. Dauid Kimhi iuuatur, qui apud eos
clarus, ferè omnes Bibliorum libros commentariis
illuſtrauit. Is enim in eo loco, quem ſuprà ex Pſal- *Pſal. 51.*
mis citauimus, immolationes in veteri lege receptas
ait, non quòd aliquod pietatis ſpecimen habeant,
ſed vt his ad virtutem alacritate quadam incitatio-
res ferremur. Eius verba hæc ſunt, עיקר שעם
הקרבנות לא צוה האל עליהם אלא לשבר הלב
ולבטל תאות הגוף מלבו · ובשריפת האמורים דמיון
ששרף גם כן התאוות הבהמיות · & quæ ſequun-
tur: hoc eſt, Fundamentum quod eſt in ſacrificiis
non præcepit Dominus, niſi vt cor frangeremus, &
corpoream illam voluptatem è corde euelleremus:
& in exuſtione adipis ſignificatio eſt, vt brutas illas
cupiditates exuramus: hæc ille. Talium pleni ſunt
Rabinorum libri, qui omnes ferè habitarunt in ſi-
mili genere rerum: quibus recenſendis ſi multus eſſe
vellem, longius forſan de via oratio deflecteret.
Quòd ſi omnium Prophetarum libros probè ani-
mo luſtraueris, non poſſis ex perpetuo eorum ſer-
mone non tibi perſuadere, cùm de ſacrificiis tam
multa in lege reperiantur, non quiddam magnifi-
centius à Domino in fatis decretum eſſe, aliúdque
præſtantius, quàm quod res ipſa docet, ſub victima-

rum inuolucris cogitatum. Quod cùm Iudæi occupati credo in nuda contextus lectione, minimè perspectum habuissent, nihil aliud cogitantes quàm quæ ante pedes sunt posita, neque scriptis, neque portentorum significatione adduci potuerunt, vt per victimarum immolationem lege comprehensam, Iesum Christum agnum illum inculpatum, pro hominum peccatis mactandum crederent: & fore aliquando vt excellēti illo, & omnibus modis summo sacrificio cætera euanescerent. Si ergo ex sanguine Christi vniuerso mortalium generi salutem partam esse, nisi dubitanter confiteri nequeunt, videant libros eos qui illis tam sunt familiares, vt nūquam de manibus deponant, num sæpissimè patrum memoria à Deo hominibus, ex sanguine placatio sit quæsita. Nam & Noë, cuius iustitiæ testimonium à Deo datum est, post diluuium altare Domino ædificauit: in quo solennibus sacrificiorum ritè peractis placatus est Dominus, atque ita cum hominibus in gratiam rediit, vt in posterum nunquam se de peccatis & facinoribus tantas pœnas repetiturū, velut religione affirmaret. Et Abrahamus ipse filium suum Isaac in monte Moria sacrificare iussus est: cuius edicti cùm ei per Angelum à Deo gratia facta esset, arietem immolauit. Iam verò Moses legem illam Dei suis descripturus, sanguine victimarum populum conspersit: quasi ea solennitate inter Deum & homines fœdus iniretur. Omitto alia exempla quæ sunt innumerabilia, quibus quodammodo à Deo optimo maximo ex sanguine placatio & salus impetrari visa est. Quidnam igitur de san-

Christus sacrificiorum finis.

Gene. 8.

Gene. 22. Abraham. Isaac.

Sanguis Christi.

ſanguine Meſsiæ Dei dicturi ſumus? Nihilne eo ſacrificij genere apud Deũ beneuolẽtię iniiſſe videamur? Quis verò illa Eſaiæ legens, Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: item, Propter ſcelus populi mei percuſſi eum: non confiteatur venturum aliquem, in cuius caput ſcelerum noſtrorum pœnæ redundarent, & qui morte ſua nos mortis periculo eximeret? Sed quæ tandem eſt hominum illorum ignoratio, vt in hanc redemptionis ſodalitatem venire ſe non patiantur, vt tanquam morbo aliquo impediti, ſuauitatem & guſtum religionis noſtræ ſentire non poſſint? Itaque mirari non deſino, quæ illos cauſa in eam inſaniam impulerit, vt graphicam illam Eſaiæ de Chriſti morte deſcriptionem ad ſceleratam ſuam ſynagogam retulerint. Quomodo enim in illius ore non eſt inuentus dolus, cuius flagitia & ſordes, cum ſumma impietatis teſtificatione, omnium Prophetarum ſcriptis cumulatiſsimè demonſtrantur? Sed tamen de his ſuo ordine. Venio ad Circunciſionem, qua vna mirum quàm illis Chriſtianorum nomen ſit inuiſum. In quo non vereor ne non eis ſim facturus ſatis, ſi mecum ſtudio veritatis ad Prophetarum ſuorum lectionem acceſſerint. Fateantur igitur neceſſe eſt, illa præputij Circunciſione, internam quandam cordis conciſionem contineri, & in vetere illa nouæ iſtius ſignificationem ineſſe, per quam aditus ad remiſsionem peccatorum daretur. Vnde & Moſes apud populum Iſraël ita egit, ומלתם ארת ערלרת לבבכם וגו׳ Et concidetis (inquit) præputium cordis veſtri. Et hoc eſt nouum Circunciſionis

Eſai. 53. *Reſponſio ad Circunciſionem.* *Deuteron. 9.*

decretum quod maximus ille nomothetes Christus descripsit suis, in eo religionis fœdere quod à priori paulò diuersius, ex Ieremiæ prædictione cum illis erat initurus. Vnde & alter Propheta ait, קרעו לבבכם ולא בגדכם· Scindite (inquit) corda vestra & non vestimenta:& apertius multò ipse Ieremias, המולו ליהוה והסירו ערלת לבבכם Circuncidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum, viri Iuda. Ex quibus ostenditur, corpoream illam Circuncisionem quadam veluti similitudine, animi ægritudinem qua vnusquisque propter malè actæ vitæ conscientiam angi debet, adumbrasse. Qui enim peccato suo commouetur, & quasi animo frangitur, ei certè propitius est Dominus. Nam vt testantur Hebræi, חנון ורחום הוא ארך אפים ורב חסד ונחם על הרעה· Ipse clemens est & misericors, tardus ad irascendum, multę misericordiæ, & parcens malo. De cuius beneficentia & liberalitate tam multa sunt in Euangeliis nostris, vt nulli vel sceleratissimo licere possit cũ Caino dicere, Maior est iniquitas mea quàm vt veniã merear: licet Hebræorum nonnulli locum illum aliter interpretentur. Sed tamen cur legis abrogationes eas quæ Christo referẽte factæ sunt, apud eos tam lõga oratione defendimus: ex quorum placitis nobis pro explorato esse potest, ferè singulis hominum ætatibus singulas legis rogationes easq; contrarias à Deo optimo maximo latas esse? Nam vt prima persequamur, apud eos ex Cabala constãs est fides, Deum ipsi Adamo edixisse vt ab animantibus temperaret, & ab eorũ esu omnino abstineret

Marginalia: Ioel. 2. — Iere. 4. — Misericordia Dei. — Ioel. 2. — Mich. 7. — Gene. 4. — Adamo esus carnium interdictus.

ret. Cuius rei opinor apud veteres Hebræos vel eò plenior firmitudo fuit, quòd nullibi à Domino primis illis parentibus animantia in vsum legãtur esse concessa. At fructus baccásq; & fruges, quę stata & anniuersaria vicissitudine terra vomere subacta solet profundere, illis in vsum cessisse, satis vetera scripta testantur. Pòst autem aliquot seculorum conuersionibus ipsi Noë & reliquo mortalium generi, de mandatis septem(vt Hebræi volunt) perscriptio facta est: animantia verò illis sunt concessa: quódq; Adamo & sequacibus fuerat interdictum, tum cuiusque voluntati condonatum est. Iam verò & humeris Abrahami onus Circuncisionis est impositũ, neque quisquam Deo acceptus esse poterat, nisi qui se eidem præscripto dedidisset. Pòst etiam ipsi Mosi & filiis Israël multa sunt adiecta, nonnullæq; leges in gradibus cognationum datæ, quæ ante illa tempora auditæ non fuerant. Nam vt illi scriptum reliquerunt, filius Noë ad sororem ex patre accessit, neq; illi vitio vnquam versum est: quod in populo Israël pro nefario scelere haberetur. Ex quibus satis ostenditur non frustra ab eis pro authentico relatum esse, legem Dei non omnino mutationis aut dispunctionis expertem esse, sed sæpe ita iubente Domino variis temporibus varia & diuersa legum capitula esse consecuta. Et quamuis R. Mose tantum authoritatis legi Mosaicæ tribuerit, vt non tantùm eam cæteris anteferret, sed perpetuam & æternam fore, neq; quicquam de ea decisum iri contenderet: in eo tamen ne suorum reprehensione caruit. Etsi enim iis qui in ea studiosè versarentur im-

Noë.

Moses.

R. Moses.

peratum eſt,ne quicquam aut adderent aut diminuerent:non eſt tamen vero cõſentaneum,vt Deus id decretũ edixerit,à quo ſalui s legibus & auſpiciis nõ poſſet recedere.Quid enim tantum aut pietatis aut religionis habet fimbriarũ & cęterorũ id genus rogatio, cuius neceſſitas arbitratui ſingulorũ à Domino permitti non poſſit?Quæ quęſo tanta eſt religionis impeditio , quò minus Deus omnia ſacrificia in quibus (vt ipſi Rabini confitentur)nullũ pietatis argumentũ ſtatuitur,delere queat? Hæc quãquã à nobis forſan diffuſius tractata ſunt, quàm res ipſa & cauſæ noſtræ defenſio poſtulabat:eò tamen ſpectãt,vt omnibus notũ eſſe poſſit,quę in lege Moſis potiſſima erant,ea à Seruatore noſtro in præſcripto poſita eſſe:quæ autẽ ſimulachris & formis continebantur,ea ad veritatem & euentum eſſe deducta. Quia igitur omnes legis & Prophetarum libri accuratius intuentibus, duo potiſſimùm fundamenta conſtituerunt: Primum & ſummum in amicitia & obſeruatione Dei,Aliud in retinendo beneficiis proximo ſitum eſt:ea modis omnibus in lege ſua Seruator noſter tuenda eſſe iudicauit, neque quicquam frequenti ſynagoga docuit , quod non ad hæc duo capita referri poſſet. Cùm igitur tanta inter noſtram & veterem Iudæorum legem ſimilitudo intercedat , vt ritibus & formulis paululùm differentes,re ipſa planè conſentiant:quid eſt quòd tantopere Chriſtianorum nomen quaſi violatæ legis apud gentes deferant,& tandiu ſint à noſtra lege alieni? Ego certè ſic ſtatuo,plures Iudęos ad noſtram legem receptum fuiſſe facturos,ſi eam ex priua-

Quid deciderit Chriſtus de lege.

Duo legis fundamenta.

uata lectione ſua penitus noſſe, quàm ex Rabino-
rum commentariis maluiſſent. Quid enim in ea
reprehendas, quæ nihil niſi perfecti ſpeciem præ ſe
ferat, quęque nos ad bene merendum etiam de ini-
micis adhortatur? Quòd ſi quę ſenſibus noſtris ac-
commodata ſunt, ſola bona iudicaſſet, &(quod Ma *Mahumetes.*
humetes & Corinthus hæreticus feciſſe prædican- *Corinthus hære.*
tur) omnibus voluptatum illecebris ſcatentem hor
tum, ſequacibus ſuis futura vita promiſiſſet: optima
certè ratione ab illius ſtudio oculos remouerent. At
eam Rabini ita ſcriptis deturparunt ſuis, vt ne illam
ad cuiuſquā Iudæi otium pertinere credant. Quod
autem Prophetarum ſermonibus ſe à Meſſię noſtri
religione abduci prædicant, hodie certè cōſtat, ho-
die agamus. Proferantur quæſo capitula legis. Ait *Obiectio in*
Moſes, Si te perſuaſerit frater tuus, filius matris tuæ *Christum.*
& dixerit occultè, Colamus Deos alienos, ipſum ſta- *Deut.13.*
tim interficies. Hęc à Domino & Meſſia noſtro, illis
ex matre non ex patre cognato facta eſſe, probari
poſſe confidunt. Primùm quis coëgit eos falſum di
cere? Quibus quęſo rerum geſtarum monumentis
proditum acceperunt, populum Iſraël à vero Dei
cultu ad externam religionem, à Chriſto concioni-
bus abductum eſſe? Quem Deum diligi & adorari
ſermonibus ſuis voluit? nonne Deum Abraham,
Deum Iſaac, & Deum Iacob? vt conſtantiſſimè dici
poſſit, cum nulla ratione ad publicum illud velut
ſerui corrupti iudicium pertinere. Addunt præ-
tereà ex Ieremia, ארור הגבר אשר יבטח באדם *Iere.17.*
ושם בשר זרועו ומן יי׳ יסור לבו. Maledictus
(inquit) vir qui cōfidit in homine, & ſtatuit carnem

brachium & præſidium ſuum,& à Domino animo eſt alienus:ex cuius ſententia aiunt ſe à Meſſia noſtro diſceſſiſſe, qui ſe multoties (vt ex Euangeliis conſtat) בן אדם, hoc eſt,Filium hominis appellauit. Quod miror eis tantum offenſionis attuliſſe, qui in Pſal.legerint,Quid eſt homo quia meminiſti eius,aut filius hominis, qui viſites eum? item, Minuiſti eum paululùm à Deis:quę ad Meſſiam etiam vetus Iudæorum ſynagoga referebat. In quo habent quod eſt accuſatori magnopere exoptandum, confitentem reum. At illum & Filium hominis & Filium Dei agnoſcimus. Quæ duo ſi probè iudicata & perſpecta habuiſſent, non ita eis veluti plauſum affectantibus arma excidiſſent. Nam quòd Ieſum Chriſtum iſti homines (cur enim hoc eis nomine non gratificer, quibus Seruator noſter prætermiſſo nomine, אותו האיש id eſt,vir ille, nuncupatur?)ſe Deum feciſſe aſſerunt,eóque nomine iuſtè de falſa religione reum à maioribus ſuis peractum: videant quàm inepiiſſimè de lege noſtra ſentiant. Quî enim ſe Deum ſtatuiſſe dicatur ille, qui non tantùm antequam Abraham eſſet, ſed ab omnibus ſeculis & æternus & Deus fuit?qui aſpectabile illud cælum, & tantum mundi ornatum verbo excitauit: qui anniuerſarios ſyderum aſtrorúmque motus nutu continet: quíque vniuerſi ſtatum tuetur & fouet, cum ſumma teſtificatione amoris erga nos ſui: cuiúſque liberalitate amœniſſimam lucem expreſſimus, vt aliquando vſura ſempiterni gaudij, futura vita (quæ ſola vita nominanda eſt) perfruamur. Vnde belliſſimè Eſaias Chriſtum loquen

Pſal.8.
Paul.ad Hebraeos 2.
Obiectio in Chriſtum.

quentem facit, ידע שור קונהו וחמור אבוס בעליו ישראל לא ידע עמי לא התבונן· Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israël autem me non cognouit, populus meus non intellexit. Ex quo satis ostenditur, non ex eo die quo in Iudæa natus est ille, sed ab omnibus seculis, sibi in vniuersum orbem imperium vendicasse, idq; maximè in populum Israël, quem ad perniciem tot & tantorum Regum, in propriam sibi curiam adoptarat. In quo miror quæ tanta olim in Baal, Moloch cæterósque illos falsos Deos potuerit esse Iudæorum propensio, cùm talium Idolorum cultus solùm à vicinis acceptus, nullis miraculis aut veritatis diplomate comprobaretur: Christum autem nostrum tot apud eos editis signis præstantem & clarum, addo etiam excellentem illam disciplinæ pietatem, à se omnino repudiarint. De quo tantus est veterum scripturarum consensus, vt ex earum contextu toto, omnem illius historiam & res gestas facilè consequaris. Quòd si fortasse alienum à sua dignitate esse putant, Messiam quasi ex legis commentario habere qui vltimo supplicio sit affectus: quæso ne has ineptias, homines maiorum virtute & externarum rerum despicientia præclari: addo etiam Philosophiam, in qua & eorum patres magna cum laude versati sunt: plurísne apud eos esse potest popularis ille multitudinis imperitæ sensus, quàm ornamenta tantæ expectationis, quam illis summo scripturarum consensu præstãtissimi Mantes portenderunt? Quos si memoria repetere volunt, reperient profectò bene cum eo actum fuisse,

Esaiæ 1.

Iudæorũ defectio à Deo.

Alia obiectio

qui quàm leuiſſima pœna ab eorum Republica diſceſſiſſet. Quem enim ex ſuis Prophetis ad pœnam non vocarũt, dum illi legatione Domini (quo nomine ſecuri inter hoſtium tela verſari poterant) apud eos fungerentur? Nam & Eſaias ampliſſimo loco natus, quique cum gloria natalium, virtutis & doctrinæ ſplendorem coniunxiſſet, dum eos à facinoribus ad pietatem & cultum Dei incitaret, graues illis pœnas dedit, & per medium ſectus eſt, ſuſtulitque in poſterum præclariſſimum exemplum non vindicandæ de Republ. falſæ religionis. Cuius ſupplicio extremo cauſam attuliſſe Hebræi tradunt, quòd in diuinatione ſua ſcriptum reliquerat, Perij, quoniam Deum exercituum viderunt oculi mei. Nam interrogatus à Manaſſe Rege, quare ita in libro ſuo ſenſiſſet, qui ignorare non poterat à Moſe omnium Prophetarum facilè principe relatum eſſe, Nemo me videbit & viuet. cui rei etſi ſatis ex reliqua ſcripturarum ſerie facere potuiſſet, fertur obmutuiſſe. Videant verò quanta placabilitate cum Ieremia vſi ſunt, qui cùm vaſtationem Ieroſolymæ, & captiuum apud Caldæos populum ductum iri ex mente Domini prædiceret, malè mulcatus in carcerem eſt coniectus, atque ex vinculis cauſam dicere coactus eſt. Et qui dies ei à muneris perfunctione, velut in aliquo Prytaneo, honoraria & ſtatutas expenſas afferre debebat, ei pro legatitio ſçuiſſimã mortem attulit, & homo pius à crudeliſſimis ciuibus ſuis lapidibus obrutus, occubuit. Prætermitto cæteros, non alia de cauſa à veteri illa Iudæorum ſynagoga malè acceptos, quàm quia

Iudæi Prophetarum occiſores.

Eſaias cæſus.

Ieremias.

mand

mandata Domini cum summa animi magnitudine perferrent. Quòd si veteribus illis gentium ducibus summo honori fuit, animo excelso pro Republica dimicare, & res magnas plenásque periculorum pro communi salute adire: viróque forti & magnanimo summè est appetendum, vt mors quæ necessitati debetur, potius patriæ donata, quàm naturæ reseruata videatur: quantò certè cum virtute erit coniunctius, iubente Domino eas res fortiter gerere, vnde tibi ad cælum aditum pares, & nefarios perditósque ciues prædicationis genere in eandem sententiam voces? Quid igitur illos tantopere Messiæ nostri mors crudelitatis plenissima offendit, quos pari in causa multos Prophetas occubuisse, latere non potest? An verò minus eis Esaiæ & cæterorum probantur monumenta, quòd à Domino incitati, voluntariam mortem oppetiuerunt? Qua certè nihil homini neque futura vita melius, neque æqualium & posterorum exemplo euenire potest præclarius. Sed tamen quæ tanta apud eos huius spectaculi nouitas esse potest, in quorum scriptis legitur, futurum aliquem qui morte sua omniũ peccata & scelera expiaret, cuiúsque amplitudine inter summum Deum & homines reditus in gratiam intercederet? Quod est igitur apud eos Christi nostri tam insolens fastidium? Iusténe & ex scripturarum fide legationem suam iniisse videatur, cuius mirifici & vberes fructus ad posteros dimanarunt? Cui rei, dictu difficile est, quàm obstrepant Iudæi. Nam quod dicimus Christum nostrum omnium flagitia periculo capitis sui

Iudæorum in mortem Christi calũnia.

luiſſe : in eo parùm ſibi Chriſtianos conſtare aiunt. Quomodo enim videatur labem peccati à ceruicibus hominum moriendo depuliſſe, qui ſceleſtiſsimum atque haud ſcio an de omnibus longè maximum facinus in eos induxit, qui violentas manus in eum iniecerunt: cuius cædes (cùm Deus eſſet) qua iuſtitia & meritorum magnitudine ſarciri & abſtergi vnquam poſsit? Sed hæc vt leuia ſunt, ita conſtans & perpetuum fidei noſtræ propugnaculum non poſſunt euertere. Vt enim turbulentiſsimis Iudæorum rebus natus, populum ſuum ſummis fœderibus & vetere propemodùm amicitia obſtrictum ſibi, repugnantem & inuitum in legis ſuæ commercium trahere noluit: ita neque eorum manus ad ſanguinem effundendum paratiſsimas reprimere, neque animos rebus ſecundis plus æquo ferocientes coërcere. Sed ita cum eis egit, vt in illis & bene & malè agendi libertas dominaretur. Accedit quod & Eſaias euenturum prædixerat, vt ab oppidanis ſuis, & iis quos quaſi iure veteris hoſpitij deuinctiſsimos habebat, repudiaretur: quibus ſummum illud hæreditatis ius abs ſe refutantibus, reliquæ gentes velut ex ſecundis tabulis ſubſtitutionem capeſſerent, aut quaſi ad defectam bonorum poſſeſsionem, ex iure conſtituto & ſummi illius Prætoris beneficio vocarentur. Sic enim apud Eſaiam Deus Pater Chriſtum ſuum alloquitur, נקל להיותך לי עבד להקים את שבטי יעקב ונצורי ישראל להשיב ונתתיך לאור גוים להיות תשועתי עד קצי הארץ. Leue (inquit) duco vt ſis ſeruus meus, exuſcitans tribus Iacob, &

Gentium vocatio.

Eſaiæ 49. Acto. 15.

red

reducens vastitates Israël: cùm dederim te in splendorem gentium, vt propagetur salus mea in fines terræ. Quod & Malachias confirmat his verbis, אין לי חפץ בכם כי ממזרח שמש עד מבואו גדול שמי בגוים· hoc est, Non est mihi in vobis voluntas: nam ab ortu solis ad occasum eius, magnum est nomen meũ inter gentes. Quia igitur maximis scripturæ testimoniis Iudæi à summo Deo filij erãt appellati, quibus magnus ille rerum opifex esset parentis loco: consentaneum esse iudicauit Christus, si illis primùm sermonem suum summo studio & incredibili contentione prædicaret: à cuius disciplina tota (nescio quo eorum fato) cùm se alienissimos maluissent, reliquas gentes per legatos solicitauit, & velut in fidem recepit: quæ tametsi veterum memoria à tanto munere essent remotissimę, locum nihilominus filij abstenti magis, quàm exhęredati tenerent, & aliquando beati æterno æuo fruerentur. Ne autem florentissimis rebus suis & fortunæ prosperitate à notitia scelestissimi illius peccati Iudæi abducerentur, totius Imperii gubernacula, & eorum Rempublicam funditus deleuit: abstulítque (vt inquit Esaias) à Iuda & Ierusalem virum validum & fortem, omnéque robur panis, & neruos commeatus & annonæ: virum, inquit, bellatorem, iudicem & Prophetam, ariolum & senem: dedítque pueros principes eorum, vt molles dominarentur eis. Quòd si ad ea quæ vel Prophetarum vaticiniis, vel Talmudæorũ cõmentis cõtinentur, aduentu Messiæ nostri cumulatè satisfactum non esse prædicant: ob ídque defectio-

Mala. 1.

Miseria Iudæorum.

Esaia 3.

nem ſuam iure ſubnixam nituntur defendere : parum certè mihi totam hanc temporum & euentorum hiſtoriam videntur didiciſſe. Nam quòd ex Sophonia citant, אז אשפוך אל עמים שפה ברורה לקרא בשם יי׳ ולעבדו בשכם אחד׳ Tunc effundam (inquit) ſuper populos labium clarum ad inuocandum nomen domini, vt ſeruiant ei ore vno: ob ídque contendunt temporibus Meſſiæ Regis, omnes ad verum Dei cultum conuenturos. Idem certè de Chriſto noſtro poſſumus gloriari, cuius fides ducibus Apoſtolis vniuerſum orbem peruagata eſt: ſed ab his primùm deſerta & quaſi pro derelicto habita, qui tam ſanctæ rogationis principes extiterant. Quo loco magis dolere quàm mirari ſubit, Antiochiam, in qua primùm Chriſtianorum nomẽ audiri cœpit, & præſtantiſſimas Aſiæ ciuitates, quæ olim totis animis in fidẽ Chriſti decubuerant, de tam glorioſa ſtatione deceſſiſſe. Verùm licet in varios populos proſeminatæ ſint diſſentientes de religione familiæ: ad id tamen conſtiterunt omnes, vt non ad figmenta & idola, ſed ad Deum viuentem vota, cultum, ſtudia denique omnia retulerint, & in eo idem ſit ferme omnium mortalium conſenſus. Quòd ſi exterorum monumenta nonnihil ad ſe pertinere exiſtimant, ex his qui annales poſteris tradiderunt, non poteſt non manifeſtum eſſe, natiuitate Meſſiæ noſtri omnes gentes à bellis conquieſſe, illóque temporis momento de manibus audaciſſimorum collapſa arma cecidiſſe. Quæ res meo quidem iudicio ſatis illis eſt factura, dum tam inſolenter illum Eſaiæ locum ſibi ſumunt, לא מלחמה׳

Temporibus Meßiæ omnes ſub fide.

Sopho. 3.

Luctuoſum.

Act. 11.

Anthiochia.

Pax temporibus Meßiæ.

ישא גוי על גוי מלחמה׃ hoc eſt, Non inferet gens genti prælium:Et ea illi,quaſi non euenerint, ad tempora Meſsiæ ſui ſeruata eſſe præſagiunt. Videant verò qui concurſus populorum, quàm crebri ad Chriſtum noſtrum ex vltimis terris receptus facti ſint:vt ad eius quem nunquam viderant clientelam & perfugium, à legatis Apoſtolis incitati, conuolarēt. Quis ergo iſta audiens non adducitur, vt credat Micheam de Meſsia noſtro loqui, dum ait, והיה באחרית הימים יהיה הר בית יי׳ נכון בראש ההרים ונשא הוא מגבעות ונהרו עליו׃ Et iterum, והלכו גוים רבים ואמרו לכו ונעלה אל הר יי׳ ואל בית אלהי יעקב ויורנו מדרכיו ונלכ׳ בארחותיו׃ hoc eſt, Et accidet ſub finem dierum,erit mons domus Dei præparatus in faſtigio montium,& collium editiſſimus, & confluent nationes multæ ad eum,& dicēt,Adeſte,aſcendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & in ſemitis eius ingrediemur. Hæc cùm ad Meſſiæ aduentum referenda eſſe Chriſtiani velint, eóque ſummo conſenſu à Rabinis omnibus ſit concurſum: quæ tandem perpetuæ illius orationis pars eſſe poteſt,quam à Chriſto noſtro iuſtè ſummoueant? Nam vt nouiſsima conferamus primis,quis ex his ſcriptis, quæ hodie nobis ſunt in manibus, non videt quanta ad eum facta fuerit à populo diſceſsio:qui cùm multis prodigiis adductus,Regem eum ſummo ſtudio deſignare vellet, ſeſe toti multitudini ſubtraxit. Ad eum igitur & ad Apoſtolos ſuos ex omni terrarum orbe tam frequentes conuenerunt,vt diffiteri poſ-

Eſa.2. *Mich.4.* *Concurſus ad Chriſtum.* *Ioan.6.*

ſit nullus, ex Ieruſalem ſalutem in omnes populos proſeminatam eſſe,& ex Sion redemptionem omnibus affulſiſſe. Sed forſitan eis ſit condonandum, quòd grauiter moleſtéque ferunt, effictam illam Rabinorum reſponſis viſcerationem, à Deo temporibus Chriſti noſtri factam non eſſe:ad quam (erit enim illis recta cœna) allaturi erant famem opinor triduanam, & diuturnum illud deſyderium lenituri. Atque vt ea res omnibus nota eſſe poſſit, altius repetendum videtur, quid de illis epulis ſcriptum reliquerint.Aiunt enim (quæ eorum eſt infantia)primis illis diebus,cùm Deus verbo omnia ad naturam rerum excitaret, creatos eſſe duos cetos increbibilis magnitudinis,vtriuſque ſexus.Cùm autem ſecum ipſe reputaret Deus,quantum ab immanibus illis belluis,diſcrimen hominibus impenderet, futurúmque aliquando vt ex vtriuſque animantis, maris ſcilicet & fœminæ coniunctione & propagatione, itinera & portus maris tenerentur, tandémque & lues illa terram ipſam rapinis infeſtaret: fœminam concidit, & ſale conditam ad tempora Meſsiæ ſeruauit, vt regio apparatu Iudæis omnibus conuiuium celebraret.Atque ad eam epularem conuiuationem acceſſuros inquiunt fructus illos,qui in horto voluptatis à tot ſeculis intacti ſeruantur.Hunc igitur ingentem cetum(quem לויתן Leuiathan vocant) quaſi ſuccidiam alteram, etiam poſt extremum illum iudicii diem, iuſtis in diurna cibaria ceſſurum contendunt.Quæ etſi ſunt abſurdiſsima, in ea tamen ſunt hæreſi,vt iudicent multis ſacræ ſcripturæ locis poſſe comprobari: citántque illud

Conuiuium à Iudæis effictum.

Fructus Paradiſi.

Leuiathan piſcis.

illud Esaiæ, ביום ההוא יי׳ יפקוד בחרבו הקשה על *Esaia 27.*
לויתן נחש בריח ועל לויתן נחש עקלתון והרג את
התנין אשר בים · hoc est, In die illa visitabit Dominus in gladio duro Leuiathan serpentem sinuosum, & Leuiathan serpentem tortuosum, occidétque cetum qui est in mari. Ex qua singulari appellatione quasi sublato altero, vnum tantùm in mari superesse affirmant. Eiusdem generis proferunt infinita ex veteribus illis scriptis, quæ rectè intuentibus quiduis agunt potius, quàm vt videantur tam aniles fabulas adumbrare voluisse. Quis ergo hæc audiens homines istos iure non miretur, qui contempto reliquo disciplinarũ cursu, se totos ad diuinæ sapientiæ cognitionem contulerũt, ita in ea versari vt Tragœdos potius aut Poëtas, quàm Philosophos aut Theologos agere arbitreris. Quis enim vnquam ex veteribus illis, qui magis ab ipsa natura, quàm aliqua sua in diuinis literis consuetudine, de rebus omnibus disseruerunt, animas postquam his corporis vinculis elapsæ in cælum euolauerant, prandere & cœnare existimauit? Quibus si nonnulla ad tuendam vitam necessaria sunt, eis certè satis opis esse non potest ad bene beatéque viuendum. Cùm tamen illa vita nihil ad suauitatem aptius esse posit, nihil ad felicitatem præstantius. Et quemadmodum Xerxem, cùm ex Asia Græciam versus nauigaret, montem Athon sustulisse, & in eo velificasse fabulantur Græci: ita homines in narrationibus suis audacissimi temporibus Messiæ montem Oliuarum diuisum iri præsagierunt, dicente Zacharia, ויבקע הר הזיתים Et scindetur mons Oliuarum:

Xerxes. Athos. Diuisio montis Oliuarum secundum Iudæos. Zachar. 14.

quod cùm nondum euenerit, accommodatè etiam defendi, Meſſiam nondum à Deo miſſum eſſe. Sed quis eſt tam ſupinus, qui ignoret Prophetas verbo tenus intelligendos non eſſe. Quòd enim Zacharias diffiſionem montis Oliuarum auguratur, ſignificationem habet, verbum Dei quod ante Meſsiam terra Iſraël & anguſtiis mōtium & maris claudebatur, Chriſto veniente eruptionem facturum, & ad extremos gentium fines conuolaturum. Sed vereor ne dum in his ſum diffuſior, planè ſim factus ille ipſe, qui hæc commenta adinuenit: quorum memoria eò minus optimo cuique iucunda eſſe debet, quò ad eorum fidem, ex ſanctiſsimis Bibliorum libris probationes à Iudæis exquiruntur.

Vt igitur his orationis noſtræ iactis fundamentis, Chriſtum Domini velut penicillo exprimamus: primùm à natali eius die initium nobis probationis fiet. Audiamus igitur Eſaiam noſtrum, הנה העלמה הרה וילדת בן וקראת שמו עמנו אל׳ Ecce (inquit) virgo concipiet & pariet filium, & vocabis nomen eius Emmanuel: & quę ſequuntur. Quo ex loco minuendæ ſunt nobis opiniones duæ, quibus Iudæi acrius nobiſcum pugnant, vt apertiſsimum hoc Prophetæ iudicium aliò traducant. Primùm enim quod ex hoc loquendi genere, הנה העלמה הרה, Ecce virgo concipiet, conſtantiſsimè defendimus à virgine editum eſſe Chriſtum: hoc certè ex ſcripti interpretatione nobis non concedunt, aſſerentes minimè neceſſarium fuiſſe, vt Meſsias ex virgine naſceretur. Quod enim apud Chriſtianos receptum eſt, עלמה, Alma, virginem ſign

Natiuitas Christi. Eſaiæ 7.

Alma.

ſignificare, hoc illis egrè & difficulter in mentem venit: qui eo nomine, non virginem tantùm, ſed iuuenem ætate admodum tenera, etiam ſi in manum viri conuenerit & corrupta ſit, aiunt deſignari. Optimè verò ea res conſtituetur, ſi de tota diſceptatione ad Hebræos codices referamus: ex quibus certè non ineleganter defendi poteſt, hac appellatione Alma, virginem quæ nondum nuptum ſit tradita, cõtineri. ſic enim ſcriptum legimus in Exodo de Maria ſorore Moſis, quæ (vt inter ipſos conſtare vidi) in ephebis, adhuc ſextum agebat annum,
ותלך העלמה ותקרא את אם הילד׃ Iuit (inquit) Alma, hoc eſt, virgo, & vocauit matrem infantis. *Exod.2.*
Simile de Rebecca, ותלך העלמה לשאוב מים׃ *Gen.24.*
Et profecta eſt Alma aquas hauſtura: quam nondum nupſiſſe ex reliquo contextu conſtat, cuius nuptias Abrahamus per procuratorem filio ſuo Iſaac ambiebat. Ex qua ſcripturarum comparatione ſatis adducimur, per vocabulum Alma, Mariam matrem Domini omnium fœminarum virtute facilè principem, virginem deſignari. De qua etſi parum honorificè à Iudæis verba fiant, nihilo tamen eius exiſtimatio fit obſcurior, cuius probitatem Deus optimus maximus heroici illius facti cõmendatione comprobauit. Quòd ſi tam cauſæ noſtræ iniqui ſunt iudices, vt etiam iis, quibus nulla in re religio eorum in diſcrimen veniat nos vti, æquo animo ferre non poſſint: patiantur ea nos in vulgus efferre, quæ ad noſtri vel illorum Meſſiæ dignitatem permagni faciunt. Quocunque enim ſe res habeat modo, & Chriſtianis & Iudæis in confeſſo *Maria.*

est, illum locum de Messia Domini significationem habere. Quo in genere homines imperiti non aduertunt, si ex virgine Messias putetur esse natus, quanta ad illius amplitudinem maiestatis fiat accessio, qui hac vna re cæteris mortalibus antecedat. Subiicit prætereà, Et vocabitur Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus. Ex quo loco nobis vberrimum concertandi cum Iudæis argumentum subit, qui à Messia diuinitatem excludunt omnem, eúmque ad humanæ naturæ fragilitatem tanquam in aliquod pistrinum, compingunt. In quo mirari non desino, quænam tandem res eos mirabiliter in lege sua & Prophetis occupatos, in tam diuturnam dubitationem adduxerit: cùm tot passim in scriptura occurrant loci, qui eam rem extra omnẽ cauillationis aleam, legentium oculis subiecerint. Quid igitur aliud agebat Esaias, quæ mens, quis sensus diuinationis suæ, cùm Messiam futurum, Emmanuel appellaret? nonne vt homines alicuius Dei cõsuetudine & victu aliquãdo fruituros, expectatione retineret? qui vt particeps diuinitatis erat futurus, de bonorum malorúmque delectu & fine solus sapienter iudicaret: quod ille certè facturus non fuisset, nisi præter humanum illud, quiddam vberius aut magnificentius à Domino esset consecutus. Cùm omnes homines sub peccato concluserit Deus, & ex tanto mortalium numero qui faciat bonum, reperias neminem. Qui ergo auspicatò à Domino Messias est appellatus, qui omnem pro salute hominum propugnationem susciperet, nullúmque apud Deum orandi pro nobis tempus inter-

Emmanuel.

Diuinitas Messiæ cõtra Iudæos.

intermitteret, eius proprium ſit omnia virtute & rectefactis metiri, iuſtitiam colere,& quæ ſunt recta & proba,innata quadam mentis agitatione deligere & ſequi:vitia autem & ægritudines, motúſq; animorum longè à ſe,& à ſuis ſeponere. Quæ qui fecerit, eum diuina quadam vi atq; natura à ſummo Deo inſtructum,facilè quiuis iudicarit. Sed tamen ne quis nos Iudæus ad hanc quæſtionem,aliquid præter ſcripturæ ſententiam afferre putet,melius profectò ille ipſe,quàm qui Hebraicè non norunt,de toto hoc genere iudicabit. Quî enim tandem ignorare poteſt,ſi modo illi cum ea lingua aliqua intercedit neceſsitudo,אל, El,Deum ſignificare? Cuius rei tam multa ſe nobis exempla oſtendunt,vt nulli,niſi ſenſu indigeat, res ignota eſſe poſſit. Quem ergo ſenſum ad Hoſeam afferas, dũ ait, ויהודה עוד רד עם אל. Et Iuda, inquit, iterum dominabitur cum El, hoc eſt, Deo. Et iterum Dauid, מעולם ועד עולם אתה אל, hoc eſt,Ab æterno & in æternum tu es El, id eſt, Deus. Et rurſus ille ipſe, אתה אדוני אל רחום, Tu domine El,id eſt, Deus miſerator.Sed tamen quid eſt quòd tantopere in hoc genere ſermonis nobis ſint moleſti, cùm illi,ſi quando ſcriptis ſuis Deum deſignare velint,eadem appellatione vtãtur,אל יתברך,Deus benedicendus.Sed hęc nimis peruagata. Vt autem eo quo cœpit authore, noſtra procedat oratio, quid aliud ſpectaſſe Eſaiam coniectura ducimur, quum ait, ביום ההוא יהיה צמח יי׳ לצבי,hoc eſt, In die illo erit germen Domini in decus: quem locum cùm Caldæus paraphraſtres ad Meſsiam refe-

El, Deus.

Hoſ. 12.

Pſal. 90.

Eſai. 4.
Caldæus Paraphraſt.

rat his verbis · בעידנה ההיא יהי משיח דיי׳ וכו׳, In tempore (inquit) illo erit Meſsias Domini, &c. in cuius ſententiam & ab omnibus Iudæis itum eſt, efficitur Meſſiam non tantùm Deum eſſe, ſed & Filium Dei: cuius opinionis Chriſtiani omnes acerrimos ſe propugnatores eſſe voluerunt. Quid enim veritati ſcripturæ magis conſentaneum eſſe poſſit, quàm vt eum qui germen Domini appellatur, Filium Dei voces? A qua etiam ſententia non longè Ieremiam abfuiſſe ſuſpicari poſſumus, qui eodem vtens vocabulo ita loquitur, בימים ההם ובעת ההיא אצמיח לדוד צדקה · hoc eſt, In diebus illis & in tempore illo germinabo ipſi Dauid iuſtitiam: quem locũ & de Meſsia Caldęus Paraphraſtes interpretatur. Atq; vt ea res magis in luce omnium verſaretur, néue qui vetera illa monumenta cupiditate ſua abduxerunt ad mercedem, ex loquendi genere paulò forſan obſcuriore ſceleri ſuo patrocinium attexerent, ſummus ille Pſalmiſtes Dauid rem apertiſſimis verbis eſt complexus, dum ille Dominum cum Meſſia verba faciẽtem inducit, בני אתה אני היום ילדתיך, Filius (inquit) meus es tu, hodie ego genui te. Potuítne rei ex ſententia nonnullorum obſcuræ lumen accedere illuſtrius? Quem locum R. Salomo à veteri Rabinorum ſchola ad Meſsiam tranſlatum eſſe fatetur: ſed vt Chriſtianis, quos hęreticos vocat, poſſit ſatisfactum & cautum eſſe, propius eſſe cenſet, vt ad Dauidem referatur, Caldæum Paraphraſtem imitatus, qui verbis claris & illuminatis tenebras videtur attuliſſe. Sed rudis ille populus & veterum inſtitutorum tenaciſſimus,

Meſsias filius Dei ex Prophet.

Ierem. 34.

Pſal. 2. Paul. ad Hebræos 5.

à priore ſententia diduci non poteſt,niſi quod ſummus Deus primùm per Pſaltē & Prophetas, deinde & ille ipſe loquens clara voce prædicauit, ſingulorum auribus inculcet,& ad cuiuſq; ſenſum accommodato miraculo,eos in ſtationem præſtantiſſimæ legis deducat. Quem igitur excellens ille naturæ princeps teſtatò Filium appellauit,Hic eſt(inquiēs) Filius meus dilectus,ipſum audite : de quo tot antè ſeculis dixerat Eſaias, Generationem eius quis enarrabit? hunc tu præter humanū quidpiam, nihil excellentius habere putes? Quem quæſo mortalium eſſe arbitreris,cuius natales & gentilitatem aut perueſtigando agnoſcere,aut inuentam à capite arceſſere non poſſis?Iam omnes Iudæi patrem Abrahamum agnoſcunt:at ab Abrahamo ad parentem humanæ ſocietatis Adamum, multorum annorum deſcriptiones in ſacris literis viſuntur. Ex quo efficitur vt inter eos qui virtute & rectefactis habentur clariores, cuius genus & ſeriem ducere non poſsis, reperias nullum. Quem igitur dicemus eum cuius generationem enarrare queat nemo?Certè & æternum & Deum eſſe fatendum eſt.Neque enim hominum quiſpiam eſt tam bene actæ vitæ gloria & meritorum magnitudine cumulatus, qui non per ſtirpes & familias cenſeri queat, aut non aliquem generis ſui authorem citet. Atque in eo quæſtionis genere appoſitè nobis præiiſſe Michæas videtur, ex cuius prædictione non poteſt non clarum eſſe, eum qui aliquando tantum Meſsiæ magiſtratum eſſet initurus,ab æterno & Deum fore.ſed eius verba reddamus, ואתה בית-לחם אפרתה צעיר,

Teſtimonium Dei de Chriſto.

Matth.3.
Marci 9.
Eſaiæ 53.

Abrahamus pater Iudæorum.

Mich.5.

להיות באלפי יהודה ממך לי יצא להיות מושל בישראל ומוצאתיו מקדם מימי עולם׳ Et tu (inquit) Beth-lehem Ephratha, minor vt nuncuperis inter millenarias Iuda: ex te mihi egredietur dominator in Iſraël, & exitus eius à principio & à diebus æternitatis. Ex quibus quis eſt tam omnis doctrinæ rudis, aut tam parùm veritatis amans, qui Meſsiam æternum deſignari non intelligat? Non igitur Seruatori noſtro momentum illud quo in Beth-lehem natus eſt, primum illi vitæ diem attulit: ſed cùm eius exitus, teſte Propheta, à diebus ęternitatis eſſent, cúmque ipſe ſibi eſſet principium, nec aliunde motus cauſam haberet, non indignum à ſua amplitudine iudicauit, ſi eius quem olim ſpecie ornarat ſua, perſonam ageret, atque in Beth-lehem pro ſalute populi ſui humana forma naſceretur. Qui igitur erat antequam naſceretur, queas adduci vt hominem tantùm hunc eſſe putes? Quíque antequam humani corporis formam ampliaret, infinitis ſeculorum conuerſionibus, totus erat ſenſus, totus auditus, totus viſus, totus ſui, hunc Deum negare poſsis? Quòd autem ij qui in Prophetas commentarios ediderunt ferè omnes, hanc à Meſsia noſtro diuinationem, vel hoc nomine ſemouent, quòd nunquam apud eos Reipublicæ gubernacula ſuſceperit, cuíq; ab his, qui tum Rempubl. gerebant, grauiſsima ſit conſtituta pœna, vt facilè ab eo principatum excludas omnem: quæſo ne homines conſiliorum in Theologia ſocij, diuinam illam dominationem, vulgi clamoribus, militari tumultu & populari gloria tantopere metiantur: néue committant vt

Meſsias à diebus æternitatis.

Iudæorum obiectio in Christum.

eos quos præstantes rebus gestis & imperij gloria historiæ nobis tradiderunt, verius Christos & Messias possimus appellare, quàm illum ipsum, longa tamen serie, Iesse filium, florem inquam, populis delibatum: quem Deus optimus maximus (vt inquit Esaias) potius spiritu sapientiæ & intellectus, scientiæ & pietatis inter suos septum esse voluit, quàm copiis & armorum metu. Qui cùm mortuos ad vitam excitasset, ventis & mari imperasset, moriénsque Soli & Lunæ tenebras offudisset, Regum omnium splendorem & manubias facilè erat superaturus, nisi pluris virtutem, patientiam, & animi in adeundis periculis magnitudinem, quàm imperandi cupiditatem æstimasset. Atque ne cui forsan obscurius in officio fuisse videatur, legat eos qui eius historiam memoriæ prodiderũt: à quibus in sermonibus suis loquens, ὡς ἔχων ἐξουσίαν ferè semper exprimitur. Cui quasi ex lege cum populo agendi potestas facta esset, forum agere, concionibus tenere populum, leges dictare & nefariorum scelerum principes ciuitatis reos, liberius coërcere consueuerat: vt cum imperio prouinciam suam ingressus esse videretur. Quo loco qui assensus bonorum omnium quanta Pharisæorum, & ciuium primariorum inuidia, qui sibi turpissimum quæstũ ex publica legis auctione velut hæreditarium, cõcionibus Iesu Christi adimi, sanè quàm ægerrimè ferebant. Non igitur eos solos dominatores & principes in Republica agnoscimus, quorũ ambitionis labore vita districta, magistratu aliquo retinetur: qui (vt dicebat Plato) in prensandis honoribus perinde agunt, atque si nautæ

Esaiæ 9.

Principatus Christi.

Matth. 7. & Marci 1.

Gratiosi.

Plato.

inter se certarent, quis eorum potius nauem guber naret: sed etiam illos qui domestica quadam laude, & priuata animi incitatione in virtutibus prædicandis, & vitiis expellendis occupantur. Quo in genere Mosem omnium concessu facilè excellentem, quanquam nullum id temporis apud Pharaonem magistratum gereret, Deus non tantùm dominum, sed deum Pharaonis appellauit: cuius dominatus non in fascibus & militum custodia, sed in verbo situs esset, vt eos qui audirent quò se cunque raperet posset dicendo impellere: quo nomine, nec abs re sanè, sententiæ & religionis in populo princeps appellari queat. Agesis verò, extremis morbis promptissimas adhibere curationes, mortuos vitæ reddere, tot hominum millia nulla propemodum re pascere, & signis quæ sunt innumerabilia in populo clarum esse, aliquámne tibi dominationis notam videntur præ se ferre? Non igitur delectatus re sua familiari priuatus egit, nec eos est imitatus, qui cùm principum & populi mores ferre non possent, domestico otio se dediderunt, sed id vitæ genus delegit sibi, vt quanquam magistratu suffragiis populi dato non fungeretur, semper tamen in contentione, semper in dimicatione versaretur: nec vllum cum populo agendi & docendi finem faceret, multósque haberet & sequaces & alumnos disciplinæ suæ: vt tamen iustius eum vocatu & delegatione summi Dei, quàm quauis popularium comitiorum ratione, in officio esse diceres. De cuius dignitate & reliquis virtutibus quum baptisaretur, rerum omnium parens Deus, quasi iu-

Moses deus Pharaonis.

Exod. 7.

Mar. 9.

ratus iudicium fecerat. Sed tamen tam multa de eius imperio afferre, nihil fortasse ad hoc tempus: quem non solùm dominum mundi & legem maris fateamur necesse est (vt olim de se Romani Imperatores prædicabant) sed cælum sedem, terram autẽ subsellium pedum eius esse accepimus. Vt & ille ipse de se ait, ἐδόθη μοὶ πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς. &c. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, & quæ sequuntur. Verùm non animaduertunt homines asoti, ex prædictis Prophetarum necessarium & fatale fuisse, vt venturus ille Messias paupertatem coleret, & ab his omnibus esset alienissimus, quæ vulgus hominum imperitorum non admiratur solùm, sed in bonis & valde appetendis ducit. Legant ergo Zachariam suum, his verbis, גילי מאד בת ציון הריעי בת ירושלם הנה מלכך יבא לך צדיק ונושע הוא עני ורוכב על חמור ועל עיר בן אתנות׃ hoc est, Cumulare gaudio filia Sion, iubila filia Ierusalem, ecce Rex tuus venit tibi iustus & saluus, pauper insidens asino, asino inquam, pullo asinæ. Quo loco R. Salomonis & aliorum confessione Messias designatur, qui cùm Imperator optimus maximúsque esset, voluntariam tamen paupertatem adamauit. Possunt igitur paupertatem esse malum iudicare, quam veteres sapientes vulgi opinionibus propemodum oppressi in bonis statuerunt? Possunt rerum externarum despicientiam non virtutem putare, qua ferme vna humanę vitę splendor continetur? Possunt denique fruendarum voluptatum rationem comprobare, à quibus qui absunt verè sapientes appellantur? Non

Esaiæ 66.

Mat. 28.

Paupertas Messię à Prophe. præsignificata.

Zac. 9.

De paupertate obiter.

igitur pauperem fuisse, & parcè ac duriter vixisse, alienum à Messia Domini videri debet: cùm hac vna re magnus & fortis animus potissimùm cernatur, eàque ipsa causa sit efficiens magnos viros. Mea certè semper ratio fuit, nulla re Deo, & eius Messiæ propius nos posse accedere, quàm rebus angustis & humanarum rerum contemptione. Quod virtutis genus si Iudæi cogitatione attigissent, non ita verecundè paupertatem in Messia fateri cogerentur: quam velut dignitati principis tanti minimè congruentem, omnino refutarunt. Quo in genere Prophetarum clarissimus Esaias de Christo loquens, Iudæis satis supérque faceret eó loco, Despectum & nouissimum virorum, virum dolorum & fractum infirmitate: Item, Nos reputauimus eum quasi leprosum & percussum à Deo, &c. nisi hunc locũ aliò traducerent. Quid est igitur aut ad amplitudinem Messię aptius, aut ad gloriam eorũ qui se ad eius patronatum & fidem contulerunt præstantius, quàm hac vna re cæteros homines superare, vt eam quæ vel à Diis timeri existimata est paupertatẽ, quámq; θυμοφθόρον veteres Poëtæ nominauerunt, mirificè complectantur: atque ita sint animo affecti, vt nihil aut expetant, aut admirentur, nisi quod cum virtute coniunctum est: quæ sola excellentes animos & humana contemnentes facit. Itaque non aspernanda illa in Talmudæis cuiusdam R. Ioseph sententia,

Esaiæ 53.

Cap. i. in disputatione festorum.

יאה עניותא ליהודאי כי ברזא סמקא לסוסיא חיוריא. hoc est, Tam decora Iudæis paupertas est, quàm equis albis rubeum frænum. Quæ igitur homines velut ἀδ[illegible], fracti opinor conscientia imbec

becillitatis suæ, suspiciunt, ea summus ille Messias ad cuiusque facultatem reuocauit: quæ vel ob eam causam suscipienda censuit, vt cæteros in spem imitandæ virtutis suæ traheret, & alacriores vitæ ęrumnas solarentur. Quis enim est tam parui, támque angusti animi, qui si secũ ipse meditetur quantis in miseriis à Messia Domini actus ille vitæ est confectus, quantáq; ab eo pro salute omnium dimicatio sit suscepta, non lubens in vitæ discrimina se coniiciat, neq; recusandũ putet vt ea qua natus est cõditione viuat, nulli neque dolori, neq; perturbationi cedat? Quis eorum qui se Messię sacramẽto obstrinxerunt, cursu incitatiore ad mortem non feratur, cùm ab eo mortem oppetitã putet, nulla certè alia de causa, quàm vt cumulatissimè de hominibus mereretur? Narrantur multæ Lacedęmoniorum & Romanorum legiones, ad eum locum vltrò profectæ, vnde se nunquam redituras existimarent. Quo igitur nos erga eũ animo esse oportebit, cui non modò vitam, sed vitæ pretium acceptum debemus? Itaque neque mors crudelitatis plena, neq; clarissima illa vulnera, ex quibus plus gloriæ quàm sanguinis manauit, Messiam potuerunt non decere: sed fateamur necesse est, nihil hoc facto se dignius, nihil magis simile sui ab illo vnquam susceptum esse: veréq; eum hac vna re omnes Messiæ & triumphos & titulos consecutum. Atque vt sermo nobis concludatur, quem initio instituimus, quis est tam omnino hebes, qui diuinitatem in Messia non possit non fateri, cùm inciderit in eum Dauidis locum, vbi ait, אמר יי׳ לאדוני שב לימיני עד אשית.

Lacedæmonij. Romani.

Mors Messia gloriosa.

Psal. 110.

אויביך הדום לרגליך· Dixit (inquit) Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, donec statuam inimicos tuos subsellium pedibus tuis. In cuius Psalmi enarratione miror Caldęum paraphrastem, & vniuersum Iudæorum gymnasium, tam pudorem omnem cum sensu perdidisse, vt aut de Abrahamo, aut de Dauide mētionem fieri, audeant prædicare. Sic autem tota res illis statuitur, vt velint hunc Psalmum à quodam ex pueris symphoniacis qui modis Dauidis præerant, compositum esse, & in eo Deum induci, qui Dauidem alloquatur, hoc modo, Dixit Deus domino meo Dauidi, Sede ad dexteram meam. Adeóne hominum impiorum euagatur audacia, vt locos qui in scriptura sunt & illustriores, & ad claritatem Messiæ aptiores, omnino commentis labefactent suis? Alij ad Abrahamum à Deo verba fieri ominantur, hoc solo adducti, quòd de Melchisedec in extremo Psalmo fiat mentio. Iam verò de Abrahamo sermonem instituti, aut de Dauide, neque scripturæ veritas, neque dignitas orationis pati potest. Nam de Abrahamo, vt antè dixi, omnium Talmudæorū traditione receptum est, eum ad portam Gehennę sedere, ibíq; velut in præsidio esse, vt Iudæorum animas quæ malefactorum suorum nomine infernas illas domos contendebant, aditu prohibeat. Quæ si ita sint, vt ipsi constanter asseuerant, quomodo à dextris Domini sedere potest, & veluti cum eo in eodem dignitatis versari gradu? Itaque homines à veritate, quam fortasse norunt, cogitatione alienissimi, malunt dissimiles sui & contrarij deferri, quàm tot scriptu-

Falsa Iudęorum interpretatio.

Iudæi sibi cōtrarii.

ptu-

pturæ locos æquitati causæ nostræ concedere. Nisi forsan idem de Abrahamo audent cōminisci, quod de se apud Lucianum Hercules loquitur, partem quidem sui in cælo cum Diis immortalibus agere, reliquam autem apud inferos cum manibus defunctorum habitare. Sed tamen quænam potest esse tanta Abrahami, aut Dauidis apud Deum authoritas & gratia, vt pari cum illo dignitate, ad dexteram eius sessum vocentur? Adeóne temere de summi Dei maiestate audent proloqui, vt ei velut ex plebe, collegam in honore & magistratu instituant? Itaque caueant ne dum à se ignorantiæ labem, quam fugere non possunt, nituntur depellere, incidant in omnium scelestissimum facinus impietatis: neq; tantùm sibi existiment licere, vt aut Abrahamo, aut Dauidi ius in orchestra sedendi possint concedere. Laudent verò eos, & si ita lubet, gymnicos præcones adhibeāt. Quidni enim & à nobis iure laudentur, quorū laudis & gloriæ hęreditas etiam ad Christianos spectat? Sed tamen is modus laudationis est adhibendus, vt nihil eorum quæ ad diuinam illam mentem pertinent, hominibus transcribatur. Quid enim à religione, non dicam Christianorum, sed Iudæorum tam alienum & nouum, quàm gloriam Dei, quam ipse alteri se non daturū clara voce prædicauit, hominibus concedere, eísque tanquā relicta plebe ad patritios transierint nomen dare illustrius? Cui rei etsi satis domestica scriptorum nostrorum exempla apud nos valere possunt, omnino tamen mihi Sybaritarum excidium in mentem venit, qui cùm de stabilitate Reipublicæ oraculum

Hercules apud Lucianū.

Deus alteri gloriam suam non communicans. Gloria.

Esaiæ 42.

Sybaritæ.

consulerent, audierunt tunc euersionem ciuitatis imminere, quum homines æquali cum Diis honore censerentur, & æquo ferrent animo se in falsam illam gloriæ possessionem induci. Quo in genere nō mediocriter ij mihi videntur offendere, qui Dauidi aut mortalium cuipiam à dextris Dei in hemicyclo sedendi locum præstituerunt. Cur enim non idem alicui ex Angelis potius? quos constat longè omnibus modis hominibus prælucere. Cur non

Moses. Deuter. 34. fortasse Mosi? quo nemo meritis clarior, nemo rebus gestis præstantior, nemo familiaritate cum Deo coniunctior vixit vnquam. Sed tamen nihil ad hanc sedem: quæ certè aut nulli debetur, aut ei qui totius diuinitatis sit particeps. Quo magis miror eos, qui contempta rerum cæterarum scientia, diuinę sapientiæ præcepta sola sunt complexi, atque in ea quam velut hæreditariam à patribus acceperant, Theologia mirificè se exercuerunt, ita desipere, vt Deum & homines eadem gloria, & vno concludant loco. Qui cùm sensissent nos ipsos illud Dauidis testimonium, tanquam proprium in fidem nostram deposcere, quasi in rem præsentem venissent, & cælum ipsum circumcirca essent scrutati, ho-

Contrarij sibi Iudæi. mines secundum Deum sedere voluerunt: quos in amœno quodam loco beatam vitam degere, non autem in cælis, omnium Rabinorum turba consentit. Melius igitur & ad veritatem accommoda-

Caldæus paraphrastes. tius, Ionathan filius Vziel Caldæus paraphrastes de tota hac quæstione videtur iudicasse. Is enim in Caldæa sua translatione ita vertit; אמר יי׳ למימריה שב לימיני, hoc est; Dixit Dominus ad verbum

suum

ſuum, Sede à dextris meis. In quo videtur homo Iudæus Chriſtianorum mentem ſcientiſſimè eſſe cōplexus. Quid enim aliud aſſerunt Chriſtiani, quàm Meſsiam noſtrū Verbum, vt ita dicam, incarnatū, teſtante accenſo Dei, καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο: Verbum (inquit) caro factum eſt. Iam verò R. Ioſeph alterum Caldæum paraphraſtem & cæteros id genus ſine contumelia dimittamus: qui dum in palato ſuo excolendo impendio occupati ſunt, minus forſan palatum ipſius cæli, vt dicebat Ennius, nouerunt: de cuius tamen exedris & ſeſsionum ordinibus audent cumulatiſsimè diſputare. Neque certè neceſſarium videtur eſſe, cùm tot ex eorum ſcriptis nobis occurrant loci, domeſticas rationes in lucem depromere. Meminerint igitur eorum quæ R. Iſaac in enarrationibus Geneſeos ſcripta reliquit, ante conſtitutionem mundi nomen Meſsiæ confirmatum & auditum fuiſſe, eúmque à dextris viuētis Dei ſedere. Quem enim alium ſenſum (inquit ille) ad Pſalmum Dauidis afferas, Dixit Dominus Domino meo, &c. Præterea in libro קבוצים hoc eſt, congregationum, memoriȩ proditū eſt, euenturum aliquando, vt Deus benedictus ipſe Regi Meſſiæ à dextris ſuis ſedendi poteſtatē faciat, eámq; eſſe germanam Dauidis mentem eo loco, quem ſuprà memorauimus. Quem ſi ad Meſsiam, qui inter eos ſunt doctrina excellentes, referunt: quem nos Meſſiam futurum iudicare oportebit? Qui ſi nihil præter humanum quiddam eſt habiturus, qua tandem fronte Dauid eum Dominum ſuū appellat, quem filium aliquando eſſet nacturus? aut quî tam excel-

Chriſtus Verbum.
Ioan. 1.
Palatū cæli.
Chriſtus ante mundum conditum ex Iudæorū placitis.
Marci 12.

ſo & ſublimi ſederet loco, qui Angelis inferior dignitate eſſet? Habeat igitur quiddam vberius neceſſe eſt, quem tanti fecit ſummus ille Rex Dauid, vt eum Dominum appellaret: quíque tam grauem amplitudinis ſuæ teſtem habuit Deum, à quo in partem dignitatis & ordinis vocaretur. Habeat aliquid illuſtrius, cuius exitus à diebus æternitatis & ab initio ſeculorum à Propheta memorantur. Sed hæc fortaſſe probabilia, illa certè neceſsitate conſecutionis ad id quod volumus ducentia, quæ Ieremias ornatiſsimis verbis in eam rem ſcripſit, *Ieremi. 23.* הנה ימים באים נאם יי׳ והקימותי לדוד צמח צדיק ומלך מלך והשכיל ועשה משפט וצדקה בארץ׃ בימיו תושע יהודה וישראל ישכון לבטח וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו׃ hoc eſt, Ecce dies venient, dicit Dominus, & excitabo ipſi Dauid germen iuſtum, & imperabit Rex & prudenter aget, & faciet iudicium & iuſtitiã in terra: in diebus eius ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit tutò, & hoc eſt nomen eius quo vocabunt eum, Deus iuſtitiæ noſtræ. Quæ ſi homines vel in Hebraicis leuiter docti expenderent, non eſſet profectò illis integrum non ſe ſocios opinioni noſtræ adiungere. Si enim excellens illud *Nomen τετραγράμματον, Iod, He, Vau, He.* Dei nomẽ, quod nos τετραγράμματον ſolemus appellare (illi vel ſe indignos qui illud efferant iudicãtes, vel ꝙ omnino qua ratione pronuntiari debeat ſibi perſpectum non eſſe inquiunt, ſic literis deſcribunt *Ioua.* ſuis יו׳ד ה׳א וי׳ו ה׳א, nos Ioua nuncupemus licet) ad Meſsiam grauiſsimus Propheta referre non dubitauit, quid eſt quòd tandiu in ſynagogis & porticibus ſuis garriant, Meſsiam Domini totius diuinita-

nitatis expertem fore, aut illi tantam immortalitatis gloriam inuideant, æsque illud alienum scriptis detrectent suis? Potuit verò maiori verborum luce posteris Deus significari, quàm illa appellatione יהוה Ioua? quæ est, secundum Iudæos, & propria & æterna Dei notatio, testante Mose, יהוה שמו, Ioua nomen eius, inquit. Et apertius apud Esaiam, אני יהוה הוא שמי וכבודי לאחר לא אתן, Ego Ioua, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri nó dabo. Et apud Ieremiam, יהוה צבאות שמו, Dominus exercituum (inquit) nomen eius. Quo nomine sese nulli ante Mosem notum fecisse ipsemet testatur Deus, cùm veteribus ipsis patribus generali appellatione אל שדי, hoc est, Dei Omnipotentis se tantùm declarasset; quos æternam illam & plenam diuinitatis nuncupationem יהוה, Ioua, quam humanæ mentis coniectura non capit, tandiu celatos voluerat. Hoc nomen המפורש, hoc est, admirabile, Hebræi nominauerunt: cuius cognitionem (vt illi inquiunt) nemo attigit vnquam, ne Iesus quidem noster: quanuis eum omni sapientia & magia suprà quàm cuiquam credibile sit, præstantem fuisse affirmarint. Atque ex eius ignoratione perfectum esse R. Iosue putat, vt in tanta calamitate, Iudæorum precibus à Domino nullus relinquatur locus. Quòd si cui tota illa nominis vis & natura nota esset, cum de manibus Dei postulationes quascunque euicturum, & de omni re, quæ in quæstionem & sermonem cadere posset, scientissimè esse dicturum existimarunt. Eius autem characteres in lapide quodam

Exod.15. *Esaiæ 42.* *Iere.31.* *Exod.6.* *Nomen admirabile.* *Lapis Sa-thus*

Kimhi. Psal.132.

Sathio, qui è regione arcæ fœderis iacebat fixus, expreſſos Rabini tradunt: ex quo etiam lapide totius vniuerſitatis & mundi fundamenta iacta eſſe volunt: veruntamen inuentus eſt nullus qui rem tam immenſam animo ſit conſecutus. Sed hæc credat Iudæus Apella (vt inquit Horatius) non ego. Iam igitur non ſum neſcius, ei interpretationi, quam Chriſtiani ad illum Ieremiæ locum, qui à nobis ſuperius memoratus eſt attulerunt, ab omnibus Iudæis reclamatum eſſe. Sic enim verſum illum veterum accentuum lege deprauata legunt, והוא שמו אשר יקראו יי׳ צדקנו. Et hoc eſt nomen eius, quo vocabit eum Deus, Iuſtitia noſtra. In quo vident omnes nihil intactum, nihil non expertum ab eis prætermiſſum eſſe, vt facilius ſuis cauſam illam in animum inducerēt, quam vixdum ſibi probare poſſunt. Vertant igitur omnia licet, accentuum rationem non ſequantur, & germanos Meſſiæ locos aliò traducant, qui quiduis agunt potius, quàm vt de vetere ſententia depellantur, aut omnino probationum neceſsitati locum relinquant. Audent ergo accentuum rationem aſpernari, ſine qua Abraham Ben Ezra ſummus apud eos Philoſophus nihil tutum, nihil non lubricum in Hebraicis literis prædicauit: quam certè qui non ſequitur, pernicioſiſsimum quiddam inducit in religionem, confuſionem videlicet & varietatem. Quo in genere homines lyncei non aduertunt, quantis in periculis eorum verſetur fides, in qua quę ſunt & potiora & præſtantiora, apicibus & punctis, minutiſſimíſque literis continentur: dum eis abſcondita

Iere.23. Locus Ieremiæ à Iudæis corruptus.

quæd-

quædam & arcana Cabalæ myſteria ſignificari volunt. Quòd autem duo illa vocabula יהוה צדקנו Dominus iuſtitiæ noſtræ, ſibi inuicem ſint colligata, ſéque mutuò complectantur, arguit accentus qui ad præcedentem dictionem יקרְאו aſcriptus eſt, quem תפחא Tifha vocant: qui accentus cum ſit diſtinguens, paulùm immorandum eſſe notat poſt eam dictionem elatam cui ſubditus eſt, hòc modo, וזה שמו אשר יקרְאו יהוה צדקנו, Et illud eſt nomen eius quo vocabunt eum, Deus Iuſtitiæ noſtræ. Neque verò poſſum non cumulari maximo gaudio, quòd in re tanta ad momenta rationum Septuaginta interpretum authoritas acceſſerit. Licet enim in ea ſententia ex noſtris fuerint nonnulli, vt ab illis Ptolemęus Rex hoc loco diuinitatem celatus eſſe videretur, eò tamen ſpectaſſe facile crediderim. Sic enim locum transferunt, καὶ τοῦτο τὸ ὄνομα αὐτοῦ ὃ καλέσει αὐτὸν. κύριος ἰωσεδέκ. Et hoc eſt (inquiunt) nomen eius quo vocabit eum Dominus, Ioſedec: quaſi Ioua ſedec: hoc eſt, Deus Iuſtitia. Si igitur ſibi tam impudenter literas illas ſanctas in manus ſumunt, vt quando ita & rerum ſuarum ſtatus, & cauſæ defendendæ ratio poſtulabit, in eis diſpungendum eſſe velint, non video quę illis iuſta indici poſſit certandi lex: quos quancunque in partem diſputando impuleris, nũquam ſine perfugio verborum laqueis irretire queas. Sed tamen ne plus aliquantò afferre videar, quàm mihi omnino impoſuerim, néue eã rem in qua Simonides apud ſummum principem tacere maluiſſet indoctis hominibus probare coner: ſatis erunt quæ

Tiſha.

LXX. interpretes.

ἰωσεδέκ,

Simonides.

à nobis in eam partem sunt explicata. Quis enim nescit in toto hoc diuinitatis genere, non tam momenta rationis & probationum quærenda, quàm à Domino summum illud fidei munus postulandum esse: ὃς ἔχει τὴν κλεῖδα τοῦ Δαβὶδ, ὃς ἀνοίγει καὶ οὐδεὶς κλείει, καὶ κλείει καὶ οὐδεὶς ἀνοίγει: qui nisi benignitatis suæ igniculos primùm in nobis conceperit, frustra libros consiliarios adhibemus. Quis enim eorum, qui cùm aliquando incerta fide vagarētur, se in societatem Circuncisionis venire passi sunt, vel ad Christi religionem cōuolarunt, non potius Deo optimo maximo tantum beneficium acceptum tulisse, quàm aut Philosophię præceptis, aut proprio quodam animi motu ad hoc munus accessisse videatur? Bene igitur & sapienter Athenienses, apud quos cùm de Protagora quòd deos esse dubitasset, & de religione temere esset locutus, referretur, eius libros causa non cognita, & extra ordinē cremari voluerunt: nefas esse existimantes, rem ad quam natura duce veheremur, probationum necessitati & disputationum contentioni addicere. Si enim cùm alicui rei probandæ argumenta assumuntur, re ipsa & clariora & priora esse debēt, quidnam tandem antiquius & clarius in hac sententia diuinitatis citare queas, cùm rerum omnium Deus sit causa & principium? Itaque ea quibus cum dignitate celebrandis, pares esse non possumus, melius esse Phauorinus censet silentio præterire, quàm tantę rei magnitudinem non satis explicasse: ne non tam laudasse, quàm de gradu laudis & gloriæ deiecisse videamur. Dum ille eiusdem

Fides à Deo postulanda. Apoc. 1.

Athenienses. Protagoras.

Phauorinus.

 ferme

ferme generis esse iudicat vituperare, atque non satis dignè extulisse.

Ne igitur æstus disputationis huius longius me à terra ferat, iam ex alto ad continentem reuocabor. Informemus verò eum quem primò sermone proposuimus Christum, & illum partibus iis & coloribus reddamus, qualem nobis veteres Prophetæ tradiderunt. Sit igitur Beth-lehem locus natiuitati eius dictus: sit conceptus ex Virgine, vt anteà exposuimus. Quo ex loco maius opinione Iudæorum præsidium fidei Christianorum accersitur. Cur enim eo Esaiæ loco, præter receptam scripturæ consuetudinem, ex materna linea tacito patre origo pueri memoratur? Quis enim nescit non tantùm in Hebraicis sed in omnibus ferme literis in vsum abiisse, vt in cuiusque origine demonstranda, relicta matre tota series per paternum genus procedat? Ex quo propius esse coniicimus, illi in terris patrem defuisse, cuius origo tantùm à matre deducitur. Addit prætereà Esaias,

ילד יולד לנו בן נתן לנו ותהי המשרה על שכמו ויקרא שמו פלא יועץ אל גבור אבי עד שר שלום.

Hoc est, Puer natus est nobis, filius datus est nobis; & erit principatus in humero eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Magnanimus, Pater æternitatis, Princeps pacis. Quibus verbis quid ad diuinitatem in Messia explicandam accomodatius esse potest? Quem enim æternitatis Patrem, quem Deum appellare queas, præter eum, qui à seipso est; & de quo plurimę consentiunt gentes primarium semper fuisse numen? Qui locus

Cunabula Christi.

Pater æternitatis Meßias.

etsi est simplex, faciléque se animis hominum insinuat, tamen illius nomine nobiscum interdicēdum esse Iudæi volunt, quòd in eum non deducti, sed irruisse, non precario, sed vi venisse videamur. Quia enim de Messia dictum inficias ire non possunt, parte eius meliore nos excludunt, & ita legunt, Puer natus est nobis: item, Et vocabit nomen eius Admirandus, Consiliarius, Deus, Magnanimus, Pater æternitatis, Principem pacis. Quæ lectura quàm sit absurda vel ipsa verborum compositio declarat, in qua conuersionem ordinis, non nisi ægrè lingua

Corrupta Iudæorum lectio.

Hebræa pati potest. Quo in genere si Septuaginta suos interpretes in consilium adhibuissent, illis forsitan æquioribus vteremur. Sic igitur Septuaginta

Septuaginta interpretes.

verterunt, καὶ καλεῖται ὄνομα αὐτοῦ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, θαυμαστὸς, σύμβουλος, θεὸς ἰσχυρὸς, ἐξουσιαστὴς, ἄρχων εἰρήνης, πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, &c. Et vocabitur (inquiunt) nomen eius magni consilij Angelus, Admirandus, Consiliarius, Deus fortis, Potens, Princeps pacis, Pater futuri seculi. Ex quibus efficitur Messiam non tantùm pacis principem designari, sed Deum fortem & magnanimum, & Patrem venturi seculi. Quia enim hac vita minus suis est cognitus, videbitur certè illis futuro seculo, non tanquam vnus è multis, sed velut pater totius æternitatis.

Tempus aduentus Messiæ ex Prophetis.

Superest vt aliquando ad tempus quo Mesiæ aduentus appropinquare ex sacris literis creditus est, nostra referatur oratio: qui locus etsi anteà à nobis est pertactus, longiorem tamen tractatum videtur postulare. Habent ergo Iudæi, si nonnihil op-

operæ & ſtudij in antiquitatis & temporum ratione poſuerunt, aduentum Meſſiæ ex vaticinio Iacob, in id tempus eſſe reiectum, quo Iudaici regni principatus à domo Dauid ad exteros transferretur. Hoc paulò ante natum Chriſtũ contigiſſe omnium gentium teſtantur monumenta. Quòd ſi probè reputationem facimus eorum temporum, ſub quorum finem ſubobſcurè ſatis aduentus Meſſiæ per Danielem deſignatur, dubitabit nemo quantus ſplendor ex ea calculi ratione fidei Chriſtianorum accerſatur: faciléque erit accuratius intuentibus iudicare, de illis hebdomadis vſque ad natiuitatem Domini ne momentum quidem aut deſyderari, aut ſupereſſe. Audiant ergo Gabrielis ad Danielem Daniel.9.
verba, שבועים שבעים נחתך על עמך ועל עיר
קדשך לכלא הפשע ולחתום חטאות ולכפר עון
ולהביא צדק עלמים ולחתום חזון ונביא ולמשוח
קדש קדשים ותדע ותשכל מן מוצא דבר להשיב
ולבנות ירושלם עד משיח נגיד שבועים שבעה
ושבועים ששים ושנים תשוב ונבנתה רחוב וחרוץ
ובצוק העתים ואחרי השבועים ששים יכרת משיח
ואין לו· hoc eſt, Septuaginta hebdomades deciſæ ſunt populo tuo, & vrbi ſanctæ tuæ, ad conficiendum ſcelus & obſignandum peccata, & expiandum iniquitatem, proferendámque iuſtitiam ſeculorum, & ad conſummandum viſionem & vatem, vngendúmque Sanctum ſanctorum. Sic inquam, habeto & intelligas, ab egreſſu verbi, vt iterum ædificetur Ieruſalem ad Meſſiam principem: & poſt ſeptẽ hebdomades & ſexaginta duas iterum inſtaurabitur platea & foſſa, idque in anguſtia temporum. Poſt

verò hebdomades ſexaginta excindetur Meſſias, & nihil ei. Hec ille. Quo in loco inter Iudæos plurimi & veteris hiſtoriæ, atque adeò totius humanitatis imperiti omnino caligarunt. Alij autem vt Moſes Tyronenſis & Bioces doctrinæ præſidiis opinor inſtructiores, ita harum hebdomadum rationem ineunt, vt à deleto primo templo ad ſecundi euerſionem annos quadringentos & nonaginta effluxiſſe affirmarent: poſt cuius temporis cõuerſionem, Meſſias ex decretis Prophetarum omnino eſſet venturus. Quem terminum cùm iam tot annorum ſecula ſuperauerint, mirandum eſt quænam tandem cauſa eos tandiu à legis noſtræ clientela prohibuerit, quæue eos ratio tantopere Rabinorum cõmentis & ſomniis retinuerit: cùm diem Meſſiæ dictum iam ceſſiſſe, comparatione ſcripturarum negari non poſſit. Quem cùm quidam illis temporibus laxiorem opinione ſua diem trahere grauatè ferret, nihil minus quàm aduentu Chriſti, veteribus monumentis ſatis eſſe factum ſuſpicans, malè Meſſiæ ominatus eſt, inquiens, Væ animabus Meſſiæ. Iam verò Suetonius author non vulgaris imperio Neronis (quo tempore ex Prophetarum authoritate Meſſiæ aduentus apud omnes Iudæos in proximam ſpem venerat) rumores toto Oriente percrebuiſſe ait, ex Iudæa egreſſum facturas copias, quæ magno ſui terrore vniuerſum orbem infeſtarent, & victoriis ſuis partum in amicitia & fide retinerent. Qua re effectum eſt, vt ſpretis quæ maioribus ſuis cum populo Romano fuerant fœderibus, violato etiam iure belli, à Romanis facilè defecerint

Moſes Tyronenſis. Bioces. Ratio hebdomadum Danielis.

Tempora aduentus Meſſiæ iã elapſa.

Suetonius in Vaſpaſia.

Cauſa defectionis Iudeorum à Romanis.

rint, & diſpoſitos in præſidiis ſtationarios milites ſuſtulerint, ampliſſimúmque illud Neronis munus, ad templum Ieroſolymitanum per legatos dono miſſum, repudiarint: quòd à Pontificibus & doctoribus legis populus Iudaicus in certiſſimam ſpem vocaretur Meſſiam prope eſſe, qui non tantùm eos à turpiſſima ſeruitute liberaret, ſed nationes omnes patriis armis ſubigeret, & ſolus rerum potiretur. Hos etiam rumores ſcribit Euſebius ad Vaſpaſianum & Domitianum Imperatores perueniſſe, quibus adducti eos qui ex genere Dauidis erant interfici iuſſerunt, vt nullus ex ea ſtirpe eſſet, qui iuſtam illam vniuerſi orbis ſucceſſionem ſibi vendicaret. Cúmq; circa ſuperiorum Cæſarum tempus Meſſiam inſtare in ore eſſet omni populo, inuentus eſt Ventozaras quidam, qui collectis ab excidio Ieroſolymitano Iudæorum reliquiis, facilè perſuaſit ſe Meſſiam eſſe, eóſque occupata Biterra vrbe ad defectionem à Romanis ſollicitauit, quem Adrianus Imperator miſſo exercitu fudit & confecit. His cumulatiſſimis gentis ſuæ teſtimoniis homines ignari non commouentur, quibus non eſt ſatis fidem noſtram non complecti, niſi etiam eam grauiſſimo odio proſequerentur: apud quos ex Talmudæorum diſciplina receptum eſt, vt ter in die Chriſto noſtro malè euenire à Deo deprecentur. Qui ſi in hebdomadibus Danielis reputandis operæ & laboris nonnihil collocaſſent, eis omnino perſpectum eſſet aut veniſſe Meſsiam Dei, quem vatum omnium præſagitiones tot ante ſeculis venturum præmonſtrarunt: aut eò probationibus compingi, vt Prophetas ab

Vaſpaſia. *Domitianus.*

Reliquiæ ſtirpis Dauidis deletæ.

Ventozaras Pſeudomeſſias.

Adrianus.



Infame Talmudæorum ſcitum.

omni veritate & fide remotissimos fuisse audeant asserere. Quò si eos non adducimus, vt nec volumus sanè, dispiciatur quæso ratio temporis, num ad momentum passionis Domini constitisse videatur.

Seder olam. Iam enim apud eos in libro qui סדר עולם, hoc est, ordo mundi, appellatur, pro confesso est, eo loco de hebdomadibus annorum Danielem loqui: eámque opinionem R. Moses & Salomon in commentariis ad Danielem confirmant. Quod si recipimus, vt certè cum veritate coniunctum est, ab eo anno quo de reditu Iudæorum, & templi instauratione cœpit Ieremias publicè prædicare, qui fuit duodecimus Nabuchodonosoris Caldæorum Regis, & quartus Sedechiæ, initium nobis ineundę rationis in hebdomadibus fiet. Itaque si ad reliquos quatuor & triginta annos, quibus posteà ab egressu verbi, Nabuchodonosor regnum Babylonis tenuit, accedant tres & viginti Euilmerodac filij, & tres Balsasar nepotis, & sex Darij & Cyri, qui Babylonicum regnum euerterunt, & Iudæos in patrias sedes ad instaurandum templum liberos, & summis exceptos præmiis dimiserunt: efficiuntur sexaginta anni: quibus si adiicimus quadringētos sexaginta sex, qui ab eo die quo ex edicto Cyri templum ædificari cœptum est, ad euersionem à Tito Vaspasiano factam intercesserunt: nascetur summa ab egressu verbi Ieremiæ ad extremum excidium, quingentorum duorum & triginta annorum. De qua vniuersa ratione si subducimus duos & quadraginta annos, qui à morte Mesiæ nostri ad deletum Iudæorum regnum fluxerūt, supersunt quadringenti nonaginta

Initium putandæ rationis in hebdomadibus Danielis.

anni: quæ summa cum calculo septuaginta hebdomadum annorum conuenit, sub quarum exitum Messias à Daniele occidendus, longè ante prædicitur. Quam rem, non ita tamen explicatè, Septuaginta demōstrarunt, dum ita vertunt, καὶ ἐξολοθρευθήσεται χρίσμα, καὶ κρίμα οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ. Et destruetur (inquiunt) vnctio, & iudicium non erit in ipsa. Neque enim sibi quiescendum esse Iudæi putauerunt, donec vnctum & vnctionem tollerent, & contra iudiciorum omnium ordinem, innocentem condemnarent. Qua in re vident eorum posteri, frustra in illo opprimendo laborem à maioribus insumptum esse, cui à Deo optimo maximo tantæ partes erant attributæ, vt solus iusta renuntiatione, in propinquo orbis discrimine Dictatorem ágeret, eósque fortissimè liberaret, qui velut magna iactati tempestate, vnicam in illo conseruandæ salutis suæ spem collocauerant. Quid est igitur quòd homines futiles eum expectent, quem annorum series repetita & subducta longè ante venisse declarat? Bene igitur ij, si tamen ad cætera animum adiecissent, qui existimarunt omnia tempora aduentui Messiæ ex Prophetarum prædictionibus posita, iam à multis seculis effluxisse: neque tamen omnino religione adducuntur, vt concepta in animis illorum bene sentiendi ratio mirificos in eis pietatis fructus pariat. Iam verò apud eos in Cabala (ad quam quoties de absconditis legis quæritur, tanquam ad aram confugiunt) pro re iudicata est, mundum sex annorum millia duraturum: ex quibus duo prima millia vacuo & inanitati ascri-

Septuaginta interpretes.

Talmudei.

Authoritas Cabalæ.

Mundus 6. millia annorū durabit.

bantur: quod tempus à creatione Adami ad Mosem vsque pertinet: altero autem duorum millium annorum spatio, lex Mosi in monte Sinai data proferetur: duobus verò extremis millibus ad Messiam & legem eius summa rerũ reditura est. Quæ opinio apud eos vel hoc ipso plus momenti habet, quòd à discipulo quodam Eliæ filio Saraptæ (quem & Elias à mortuis suscitauit) tradita, ad posteros dimanasse credita est. Quam si tantopere complectuntur; quid afferunt quo ipsis Messias in spe collocetur? Iam enim ex illa temporis ratione, quo Messias cum imperio prouinciam sortiturus erat, ad calculum eorum mille & quadringẽti fermè anni elapsi sunt. Cùm à creatione mundi ad hæc vsq; tempora quinquies mille trecenti & tredecim anni illis numerentur, & apud nos tota illa temporum summa longè sit superior. Itaque si Messiam iam venisse tam ægrè in animum inducunt, verendum illis est, quod maximè omnium fugiunt, ne & mendaces & indoctos Talmudæos suos non possint non fateri, à quibus ista sunt profecta. Quòd si tandiu Messiam æs illud alienum reliquari putant, ꝙ nondum tot Iudaici populi scelera per pœnitentiam expiata sint, meminerint annuæ illius pœnitentiæ, quam eorum patres non ita pridem toto orbe Iudæis omnibus indixerunt, vt Deus rebus eorum planè exulceratis succurreret, & Messiam illis velut diuturna obsidione pressis subsidio mitteret: Hanc post homines natos longè maximam fuisse accepimus, quæ tamen Messiam impetrare non potuit. Quid ergo eos tam diuturnæ expectationis desyderium tenet? Nam & sum-

Elias.

Anni mundi secundum Iudæos.

Publica & solennis Iudæorum pœnitentia.

ſummus apud eos R. Eleazar ſcriptum reliquit, *R. Eleazar.*
quòd ſi Iudæi ex tota illa peccatorum colluuie ad ſe redierint, & pœnitentiam egerint, fore vt ſummum illud pœnitendi bonum, publica Iudæorum omnium liberatio conſequatur. Cùm igitur neque temporis longinquitas, neque imperata toto orbe, & perfecta ab omnibus æquabiliter Iudæis pœnitentia, eorum cauſæ compendij quicquam attulerit, reliquum eſt vt Meſſiam ex fide noſtra mutuentur. Si enim Deus, vt ille idem in Sinai frequentibus *Exod. 20.*
Iudæorum comitiis de ſe prædicauit, pœnas eorum ſcelerum quæ patres admiſerint, in tertiam & quartam generationem proferre ſolet, forſitan contra incredibilem illam & tot monumentis teſtatam miſericordiam videatur eſſe, ſi auorum ſupplicia à milleſima ſtirpe dicatur repetere. *Deus viſitans delicta in tertiam & quartam generationes.* Quòd ſi illis eſt antiquius in Meſſiam venturum ſtudia & expectationes omnes reiicere, quàm ad eius fidem ſe conferre quem & vetera monumenta, & tot gentium conſenſus veniſſe declarant: quo tandem genere interpretationis, loco illi ſatis ſunt facturi, in quo Moſes magnificentiſsimè & ornatiſsimè de miſericordia Dei, erga eos qui aliquando in eadem naui verſarentur, qua illi ſe hodie apud nos
eſſe prædicant, ſic loquitur, ובקשתם משם אל *Deuter. 4.*
יי׳ אלהיך ומצאת כי תדרשנו בכל לבבך ובכל *Ierem. 29.*
נפשך׳ Cùm (inquit ille) ex captiuitatis ærumnis petieritis Dominum veſtrum, inuenietis, ſi quæſieritis toto corde & animo: & rurſus, ושב יי׳ את *Deuter. 30.*
שבותך וקבצך מכל העמים אשר הפיצך אלהיך
שמה׳ Et conuertet captiuitatem tuam, & con-

gregabit te ex omnibus populis, in quos te dispersérit, Quæ si vera sunt, quid est quòd calamitosissimis istis temporibus, Messiam velut assertorem libertatis publicę à Domino non impetrant: cùm à tot seculis inter eos Idolorum cultus conticuerit, neque apud illos aliquis fiat pœnitendi finis? Sed quemadmodum Tyrannus ille Syracusanus Dionysius, cùm victoriolas aureas & pateras, coronásque, quæ simulachrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione sustulisset, dicere solebat, Stultitiam esse à quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus & dantibus nolle sumere. Sic idem quoque hoc in sermone dici potest. Quid enim proprius ad insaniam accedit, quàm tot precibus, adhibita etiam orationis contentione à Deo optimo maximo petere, vltrò autem & opportunè oblatum nolle accipere. Queruntur apud nos, se captiuos malis haberi modis, patrimonia exhauriri sua, & in omni genere tributorũ se onus Ætna grauius sustinere. Deplorent verò perfidiam suam, nullúmque impietatis & crudelitatis exemplum à maioribus suis prætermissum esse, in eos qui Iesum Mesiam Dei inter hostium tela deferre primi sunt conati. Quid verò agebant populares tumultus? quid planè tribunitij illi furores? quid actiones illę factiosæ, statim sub nascentis Ecclesiæ nostræ initia, totis Asiæ & Græciæ ciuitatibus excitatæ? An vt Christianos captis pignoribus, aut multa indicta coërcerent, aut tantam illam animi magnitudinẽ imperatis vectigalibus debilitarent? Aliò certè eorum audacia tendebat, vt Christianos omn-

Dionysius.

Veteris Synagogæ crudelitas in Christianos.

Vide acta apostolorum.

omnes,in quorum hodie fidem sunt recepti, cruciatibus opprimerent, & iis quos comprehendere non poterant aqua & igni interdicerent. Itaque iam mirari desino, quòd Romani contra veterem illum mansuetudinis morem, dignitatémque ciuitatis & togæ, seuerius aliquando in Christianos constituerint: nempe à Iudæis impulsi,qui seminarium præstantissimæ fidei diuinitus datū, concursationibus hominum & suppliciorum seueritate obrui posse existimauerunt. Quòd si memores veterum iniuriarum Christiani, parem illis gratiam referre voluissent, dudum ex vniuersa Europa illa hominum pestis euolasset. Sed tamē quiddam humanius fides nostra postulat, quæ non ad referendum beneficium solùm,si quod acceperis, animos suorum exuscitat, sed incitatiores aliquantò ad benemerendū de inimicis facit: vt Deo,quem clementissimum scriptura testatur, benignitate & gratia propiores simus. Vt igitur ad rem redeam,etsi difficiles explicatus plerunque reputatio temporum habere solet,vel maximè apud eos,à quibus magistra illa vitæ & testis seculorum historia contemnitur: si qui tamen sunt inter eos, quos grauitas rei ad veri peruestigationem impellit, videbunt sanè natiuitatem Domini adhibita scrupulosa calculi ratione,ad eum diem pertinere,qui Mesiç quondam ab omnibus Prophetis est ascriptus.

Vindicta à Christianis aliena.

Historia.

Iam verò & locum & tempus natiuitatis Mesiæ prætereuecti, attingamus eam partem,quæ vniuersa in eius actionibus, morte, vita denique tota posita est. In quo longum fortasse fuerit, nihil

O

eorum omittere, quæ de eo à Prophetis ſunt prædi
cta: ſed quia vereor ne cui magis ex Theologorum hominum diſputationibus, quàm ex noſtro ſenſu deprompta eſſe videatur oratio, paucis totam hãc quæſtionem perorabo. Quòd ergo veteres eorum

Pſal. 22. Rabini ex Pſalmo Dauidis ad Meſiam conferunt,
Cunabula Christi. idem profectò in Chriſto noſtro poſſumus gloriari,
Magi ad Christum. ad quem nuper natum ſapientes illi, quos Magos Caldæi vocant, cum ampliſſimis muneribus venerunt, vt illi auſpicatum, & tot vatum diuinationibus deſyderatum aduentum non vulgari liberalitatis & lętitiæ teſtificatione gratularentur. De quibus tot antè ſeculorum conuerſionibus, ita dixe-
Pſal. 72. rat Pſalmiſtes Dauid, מלכי תרשיש ואיים מנחה ישיבו מלכי שבא וסבא אשכר יקריבו וישתחוו כל מלכים כל גוים יעבדוהו׃ hoc eſt, Reges Tharſis & inſulæ dona afferẽt, Reges Saba munus offerent, & procident omnes Reges, omnes gentes ſeruient ei. Quid? quod legimus in annalibus, hoc eſt, Euangeliis Meſſię noſtri, Ieſum Chriſtũ mox in lucem editum, ex præſcripto Angeli à parentibus in Ægyptum eſſe perductum, vt tyrannidem & crudelitatem Herodis Regis, qui in eius perniciem con
Christus in Aegypto. iurarat, fugeret: quo extincto, mox & ab eodem Angelo in patriam reuocatum eſſe, nónne hoc præſtantiſsimus vates Hoſeas longè antè præuidit?
Hoseas 11. inquiens, וממצרים קראתי לבני, hoc eſt, Ex Ægypto vocaui filium meum. Quia verò & alterum
Elias Christi antegressor. velut Eliam, qui aduentum Meſſiæ paululùm tempore antecederet, aliquot Prophetarum reſponſa venturum præſagierunt: hoc ne fidei quidem noſtræ

nostræ defuisse videatur. Quis enim Ioanne Baptista & religiosius & sanctius ad prædictionem illam Malachiæ pertinere posit? dum ait, הנני שולח *Malach. 3. Ioannes Bap* מלאכי ופנה דרך לפני ופתאם יבא אל היכלו האדון וגו׳ Ecce (inquit) mitto Angelum meum, qui verret viam ante me, & subitò veniet Dominus ad templum suum. Quis accommodatius & verius homine illo ea Esaiæ Prophetæ appellatione *Esai. c. 40.* dignetur? קול קורא במדבר פנו דרך יי׳ ישרו בערבה מסילה לאלהינו׳ Vox (inquit) clamantis in deserto, Præparate viam Domini, & dirigite in solitudine vias Deo nostro. Hic est certè Angelus ille, qui quiddam præstantius & Iudæorum opinione maius, sibi in vita suscipiendum esse existimauit. Neque enim venit, vt editiora montium iuga complanaret, & reliquo æquaret solo: neque huc ad nos est profectus, vt Iudæis omnibus ex vltimis terris ad Messiam contendentibus, viarum difficultates tolleret, & illis fastidium itineris leniret: sed vt eas animas, quæ tantum Messiæ lumen illico erant contuituræ, ad pœnitentiam adduceret, & concionibus Deo adiungeret. Hunc Iose- *Iosephus.* phus author apud eos valde bonus, in libro quem & Græcè, & alio etiam quem paulò compendiosius de rebus eorum Hebraicè conscripsit, tantùm commendat, vt eum ausus fuerit prædicare, oraculum fuisse totius ciuitatis: qui meo quidem iudicio & idem sibi sumere suo iure posit, quod Pythius *Pythius vates.* ille vates apud Enniũ, se esse eum, vnde sibi omnes sui ciues consilium expetant.

Suarum (inquit) *rerum incerti, quos ego mea ope ex:*

Incertis, certos compotésque consilij
Dimitto, vt ne res temere tractent turbidas.

Hic enim Iudæos pontificiis decretis occupatos ad verum legis lumen adduxit: hic errantes, & sceleribus implicatos ad pœnitentiam reuocauit: hic animi pendentes & dubios, de Messiæ aduentu certiores fecit: vt verè ante faciem Domini iter præparasse, & multorum scelerum maculam abstersisse prædicetur. Cuius tam vniuerso populo testata virtus fuit, vt eos à quibus per inuidiam ad mortem expetitus erat, testes sempiternos reliquerit & nominis & innocentiæ suæ: mortuúsque est amplissimis iam prædicandi muneribus perfunctus vates, cum tanto probitatis testimonio, vt nemo eum virtute & rectefactis Elia inferiorem fuisse iudicauerit. A cuius encomio ne sceleratus quidem Mahumetes temperauit, qui in Alchorano suo, Iesum Spiritum Dei, Ioannem autem, Verbum diuinum appellauit: cuius natiuitatem multis & magnificentissimis verbis eodem libro est persecutus. Iam igitur scriptum reliquit Daniel, Messiam quum ex ephebis excessisset, extrema annorum hebdomada id fœdus quod cum suis inierat confirmaturum, & per dimidium hebdomadæ abrogaturum victimam & oblationem, nundinásque illas abominationum, & constuprata Iudaici populi iudicia constanter deleturum, his verbis, והגביר ברית לרבים שבוע אחד וחצי השבוע ישבית זבח ומנחה ועל כנף שקוצים משומם, Confirmabit (de Messia loquens) fœdus cum multis hebdomada vna, & per dimidium hebdomadæ antiquabit victimam &

Mahumetes in Alchor. Azoara. 9.

Tempus prædicationis Christi ex Daniele.

Dan. 9.

& oblationem, & erit depopulator ſuper ala & magnitudine abominationum. Quæ omnia videant quanto cum ſtudio, qua denique vigilãtia & fortitudine Meſsias noſter præſtiterit. Id enim fœdus quod ex prædictis Ieremiæ nouum, & ab antiquo paulò diuerſius, ſuis erat deſcripturus, vltima annorum hebdomada cœpit promulgare, & de eo conſtantiſſimè apud omnes Iudæorum ordines referre. Per dimidium autem vltimæ illius hebdomadæ, hoc eſt per tres annos & dimidium anni, Iudæos accuſare, liberius ſingulorum flagitia coërcere, religionem ſacerdotum auaritia deformatam ad priſtinum decorem reuocare non deſiſtebat: atque ita cum populo agebat, vt non hortator & ſuaſor legis, ſed magiſter & dominus conſilij videretur. Prætereà (quod iſti homines grauiter moleſtéque ferunt) ſacrificium illud iuge, & antiquæ legis victimas & oblationes ita abrogauit, vt ea quorum vſus & authoritas etiam apud immaniſsimas quaſque nationes valuerat, cum animi ſuo ſe peccato conficientis oblatione commutaret, & Dei viui placationem non donis aut Hecatombis, ſed pietate, rectefactis, & bene actæ vitæ conſcienria metiretur. Conſentaneum verò fuit, vt quem Ieremias שר שלום, hoc eſt, Principem pacis appellauit, non tantùm Iudæis ſed & cæteris gentibus verba pacis loqueretur, teſtante Propheta, ודבר שלום לגוים hoc eſt, Loquetur pacem gentibus. Quid enim aliud egit Seruàtor noſter, quàm vt homines amicitia inter ſe ſociaret, ſimultates è mentibus euelleret, & animos hominum mutuis odijs flagrantes, de

Iere.31.

Commutatio ſacrificij à Chriſto.

Meſsias Princeps pacis.
Iere.23.
Matth.10.
Zach.9.

maleuolentia ad societatem illam & naturæ communitatem deduceret? Veréque ille tabulas de dolo malo, quas nonnulli euerriculum malorum appellauerunt, solus rogauit, vt præstantissimis pietatis & benignitatis cautionibus, omnes in officio erga proximum retineret, eósque qui aut natura, aut temporum vitio & opinionibus deprauatis, ad obsequendum amicis erant tardiores, aculeis quibusdam incitaret. Itaque Antoninus Pius Imperator cùm audiret hoc sententiæ genus in ore omni Christiano esse,

Tabulę de dolo malo.

Antoninus Pius Impe.

Hoc tibi sit argumentum in promptu situm,
Alteri ne feceris quod tute tibi fieri non vis:

Christi gesta & historiam totam accuratius legit & didicit, eíq; in foro statuã consecrauit. Qua enim re propius ad Deum accedas quàm benignitate & officiis pietatis? Ad quam licet satis à natura instructi simus, si quis tamen antiquitus ad eam aliquid opis & adiumenti attulisset, in numerum Deorum post mortem referebatur. Vt de Hercule quem ἀλεξίκακον & malorum depulsorem accepimus, & Cerere quæ Barbaros glandibus vescentes panificium docuit. Nam (vt inquit Plinius) Deus est mortali iuuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via. Hanc igitur beneficentiam tam sanctè piéque in vita Seruator noster coluit, vt pro nobis non dubitanter occiderit. Quòd si forsitan ex Iudæis sunt nonnulli, quorum animus vel ex eo offensione ducitur, quòd apud Matthæum Iesum nostrum sic loquentem audiant, Μὴ νομίζετε ὅτι ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην ἐπὶ τὴν γῆν. οὐκ ἦλθον

Hercules ἀλεξίκακος. Ceres.

Matth. 10.

βαλ-

βαλεῖν εἰρήνην, ἀλλὰ μάχαιραν. ἦλθον γὰρ διχάσαι ἄνθρωπον κατὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, & quæ ſequuntur:id eſt, Nolite exiſtimare (inquit Dominus) veniſſe me vt mitterem pacem in terram. Non veni vt inijcerem pacem,ſed gladium:veni enim ſeparaturus hominem à patre ſuo, & filiam à matre ſua, &c. Ad quæ verba ſi quis mentem penitius defigat,videbit certè id bellum, quod optimus maximúſque Deus per Ieſum Meſsiam & Patrempatratum ſuum hominibus indixit,pacis & concordiæ ne expers quidem fuiſſe. Quod enim ab omnibus penè Prophetis Meſsias Dei, Princeps pacis deſignatur, eam certè concordiam & pacem intelligimus,quæ cum diuino illo cultu & veritate coniunctiſsima eſt, & vitia omnia odio inſectatur. Quis enim tantus & tam dulcis modorum ſonus,quæ vocum & neruorum flexiones tantos æquabiliter concentus poſſunt efficere, quàm hominis egregiè cordati animus, mirabiles cum religione, cultu & præceptis Dei conſenſus habet? Quid porrò eſt tam ſibi diſcrepans, támque parum ſui ſimile,quàm ſceleratorum mentes motibus circuncirca perturbatæ, quibus cum lege & Meſsia authore legis æterna eſt & perpetua diſſenſio? Qui autem ita ſe habent,vt nihil ſit quod malint quàm ſe defenſores legis acerrimos eſſe, iis cum Meſsia mirifica quædam eſt ſocietas. Quòd ſi in muſicorum cantu & fidibus quod ex arte fit,imperitis hominibus & ἀμούσοις non probatur, non ideo cantus ipſe ſibi minus videtur conſentire:ſic in vita hominis magni & ſapientis, ſi eius actiones ſceleratis non probentur, non ideo

Bellũ à Meſsia indictum.

magis ipſe ſibi aut diſcrepaſſe, aut pietatem inter homines violaſſe iudicetur. Iam igitur veritas, teſte
Veritas. Comico, odia & ſimultates parit: quam tamen ne-
Terentius. mo bene ſanus ab amicitia & coniunctione hominum alienam dixerit, nemo tanquam bellorum & ſeditionum nutricem condemnarit. Qui enim minus ipſi ſibi noti ſunt, quíque aſſentatoribus aures patefaciũt, & magnitudine commodorum ſuorum virtutem metiuntur, iis certè grauis omnis eſt veritas, hóſq; offenſiores & minus pacatos reddit. Qui autem ex ſe ipſis ſatis ſunt apti, & dignitati omnia magna tribuunt, hi in veritatem decũbunt impenſius, hanc complectuntur & fouent. Ex quo fit, vt qui Dei & veritatis viam liberius docuerit, bellum quidem orbi indixiſſe videatur: ſed tamen pacis & beneuolentiæ pleniſsimum, vt quanuis cum ſceleratis & ſceleribus æterno prælio decertet, Princeps tamẽ pacis ſuo iure appellari queat. Quid igitur homines iſti tãtopere mirantur Ieſum Chriſtũ (quem pacis Ducem & fœderis ſempiterni Authorem nominamus) gladium in homines immiſiſſe? Sicut enim in agricultura ſcitè & cum ratione conſitiones, repaſtinationes & propagationes fieri, vineæq́; inſtitui non poſſunt, niſi aut braſsica, quam naturalem cum vite ſimultatem exercere dicunt, euellatur, aut omnino nocentes herbę extirpentur: neque arborum ordines deſcribi, niſi ager exoſſetur. Sic ſummus ille Meſsias noſter & muneri & dignitati ſuæ conueniens eſſe iudicauit, non tantùm virtutem prædicare & quadam velut honeſti ſpecie homines retinere, ſed vitia omnia penitus ſummoue-

re, & cum impiis ad deditionem vſque dimicare. Vnde fit vt probatos homines nouo illo legis nuntio voluptate impulerit, flagitioſis autem ſtomachum fecerit, & cauſam offenſionis attulerit, ſicque iiſdem concionibus & de pace & de bello retuliſſe videatur. Hoc igitur Chriſtianis hominibus in vita propoſitũ eſſe debet, vt ſe legi Euangelicæ pares eſſe velint, quæ in ſtatuendis piiſſimis decretis ſuis non ſanguine & affinitate, ſed iuſtitia & perpetua quadam æquitate ducitur. Iubet ergo lex tam fortiter pro fide & virtute decertandum eſſe, vt ſi quãdo caſus incidat, vt aut à lege, aut à beneuolentia conſanguineorum facienda ſit diſceſſio, omnino naturæ vincula deſerantur, vt legi ſatisfiat, neque plurimorum inimicitias & offenſiones metuendas eſſe, vt Deum vnicè colas & complectaris. Quòd ſi quis tam parum ſyncerè de rebus iudicat, vt illi prius ſit & potius de patre & matre, amico denique & cognato bene mereri, quàm in legem non committere: non video quæ illi cum Chriſtiana religione poſſit eſſe ſocietas. In quo parum Chriſtianos noſtrorum animos notare licet, apud quos admiratione diuitiarum Euangelicæ veritatis ſeminarium obruitur. Quid enim aliud agunt patres & matres, & qui ſunt inter agnatos propinqui aut ſpectati magis, quàm pueros ambitionis & opum cupiditate à natura ſatis incenſos, à deſpicientia rerum externarum, ad ſpem amplioris patrimonij & omnis auaritiæ labem attollere? Quibus non eſt ſatis iuuenes laudare, & illis velut teſtimoniũ virtutis red dere, qui neglecta penè Euangelica luce, totos ſe ad

Munus Chriſtiani.

Mos deprauatus.

Otium literarum, ſtudio pecuniarum anteponendũ.

quæſtum lucrúmque contulerunt: niſi etiam eos vituperarent qui rationibus huius ſeculi longè à ſe poſitis, contenti & ſuo & paruo, otio doctrinæque ſe dediderunt, eáque excellēti quadam natura, ſola ſunt ſectati, in quibus virtutis ſplendor ineſt maximus. Quos ſi in rebus minimè diuerſis, parum ſibi conſtare quiſpiam exiſtimauerit, quòd gloriam & opes, & quæ nonnulli admirantur imperia ſeſe dicant contemnere, ea autem literarum ſtudia ſectentur impenſius, quibus forſan apud Deum nihilo ſint meliores: difficile tamen factu ſit in eo hominum genere tantam naturæ vim non probare, quæ ſine aliqua principatus appetitione, quaſi impetu ad diſcendum & intelligendum fertur: qua re vt nihil eſt naturę hominis accommodatius, ita fortis & magnus animus potiſsimùm cerni ſolet. In

Philoſophi. his nobiliſsimos Philoſophos longéque principes fuiſſe accepimus, qui quandiu animum ab omni contentione & ſtrepitu reuocare potuerunt, iis Regibus eſſe licuit. Quibus etſi fortaſſe multi eò minus ignoſcendum eſſe iudicabunt, quòd aut ciuitatibus ſuis defuiſſe, aut eam charitatem & coniunctionem, quæ vnicuique noſtrûm cum Republica eſſe debet, nō admodū officioſè videantur coluiſſe, neque res eas geſſerint, quæ cum ſalute & commodis patriæ magnopere coniunctæ ſunt: mihi tamen non procul ab ea laude abfuerint. Ac ne plura conſecter, quis non exiſtimat eos Imperatores, qui triūphis ſuis æternam patriæ laudem pepererunt, inſtructiores multò è Philoſophorum ludo ad Rempublicam acceſsiſſe? quorum nonnullos tanta cum

lau

laude gubernacula rerum suscepisse legimus, vt potius Philosophos imperasse, quàm Imperatores philosophatos esse adduci queas. Quis verò non videt Alexandro Magno, qui omnibus Imperatoribus mea quidem sententia facilè præluxit, Aristotelis disciplinam summum ad res gerendas adiumentum attulisse? Quis Dionem ex gymnasio Platonis ad administrationem Regni aptiorem prodiisse non iudicet? Et Demetrius quidem Phalereus à Theophrasto edoctus, mirabiliter doctrinam ex vmbraculis eruditorum non modò in solem atque puluerem, sed in aciem discriménque perduxit, cui tantùm ob egregia illa literarum ornamenta tribuerunt omnes, vt ferme vnus & doctrinæ studiis & regēda ciuitate princeps nominaretur. An verò quum in Augusto Cæsare, qui rerum magnarum gloria cumulatus perhibetur, facilitatem & animi moderationem cernimus, non ad eam vim virtutémque naturæ, ex Apolloniæ officina accesśionē factā esse arbitramur? Nam imperito homine nihil quicquā vel imperitius, vel rebus administrandis ineptius. Iam quid Nerone crudelius, quid belluarum magis simile? At fortasse illi ad tantam feritatem educatio procul à Philosophiæ præceptis suffragata esse videatur. Cùm enim adhuc puer ex edicto Agrippinæ matris philosophica attingere vetaretur, quòd ea etsi ad perpoliendos mores valerent plurimùm, tamen illis animi effœminarentur: ita imperauit, vt in omni crudelitatis & flagitij genere, & ab eo semper omnes, & sæpisśimè ille à se sit superatus. Melius igitur & prudentius sapientisśimus ille Peleus,

Alexander Macedo. *Aristoteles.* *Dion.* *Plato.* *Demetrius Phalereus.* *Theophrastus.* *Aug. Cæsar.* *Nero.* *Agrippina.* *Peleus.*

Achilles. Phœnix. Iliad.9. qui Achilli filio ad omnia ſumma nato, Phœnicem magiſtrum dedit, non quidem tantùm (vt inquit Homerus) vt eum faceret oratorem verborum,ſed & actorem rerum,hoc eſt, vt & eloquentiam & ſapientiam doceret:quæ duæ res in liberis ciuitatibus ſemper valuerunt, ſummóſque duces *Mentes eruditæ.* maiores aliquantò ad rem gerendam fecerunt.Decet enim non tantùm linguas, ſed etiam mentes fieri eruditas. Nihílne igitur Philoſophi ciuitatibus ſuis videntur profuiſſe? nihílne ij,qui procul ab honoribus & diuitiarum appetitione curſum vitæ in otio & literis confecerunt, eáque ſemper ſubſidia ſunt aſpernati, quibus cum virtute ſumma eſt & quodammodo æterna diſſociatio? Sed tamen quid tam multa de Philoſophis,quorum cauſa parum ſanè ad id quod quærimus pertinet.Neque enim vnquam eos aliquis reprehendendos duxit, quòd pecuniam contemnerent,ſibíque non prodeſſent:ſed *Noua criminis rogatio.* quòd forſitan Reipublicæ vtiles eſſe nollent. Verùm homines noſtri,noui criminis, atque haud ſcio an vnquam poſt hominum memoriam auditi, publico velut iudicio pœnas depoſcunt,eóſque qui in Republica non capeſſenda vtilitates ſuas deferunt, *Magiſtratuũ in Rempublicam pietas.* de crimine audent appellare.Citentur quęſo ex noſtris aliqui, qui omnino obliti commodorum ſuorum Rempublicam attigerint. An verò non optimus quiſque plenius de patria ſe mereri putat, ſi priuatum lucrum agens, cauſas amicorum iudicarit,tractarit,defenderit? Age videamus ſubſellia,roſtra,iudicia, ſenatum denique ipſum (ſi tamen mihi per Budæum ſenatum appellare licet) quotus

quiſq

quiſque in illis ordinibus ſedet, qui præclarum illud iudicandi munus non potius ſtipendijs & ſportulis, quàm publica vtilitate metiatur? Quis vnquam dignitates eas priuatus expetiuit, vt publicis contentionibus & malis mederetur? Itaque qui inter eos eſt præſtantiſſimus, maximam ſibi deberi gratiam putat, ſi neminem lædens, ius ſibi ſuum reddiderit, & cum priuata ratione & vtilitate ius publicum coniunxerit: vt eum potius ſibi quàm aliis iudicare, facilè exiſtimes. Quod forſitã magnopere ſit reprehendendum, niſi etiam longè deteriores ipſa tempora peperiſſent: quibus non eſt ſatis in iudicando, domeſticis commodis & re familiari retineri impenſius, niſi ius vnius partis per ſordes proſcriberent, ſępiſsiméque per gratiam à iudicando fierent tardiores, aut aſſidua concurſatione, reliquorum iudicum ſuffragia prenſarent. Obſcurum certè & infame genus hominum, qui in ſummis illis muneribus ita degunt, vt non ipſe Euangelij ſplendor, ſed ne naturæ quidem lumen appareat. Quid igitur & opis & adiumenti ad Rempublicam iſtos homines attuliſſe credas, qui opinione diuitiarum, quas ſibi animo finxerunt, omnia iura & diuina & humana peruertunt, & publici imperij maieſtatem domeſticis ſordibus labefactant? Quòd ſi religionem ſpectemus (qua altera parte ciuitatis ſalus continetur) quàm pauci ſe pro publicis commodis in ampliſſimum illud collegium cooptari hactenus voluerint, omnium ſit exiſtimatio. Atque, quod longè indigniſsimum eſt, qui inter eos ſummis & optimis ſacerdotiis magis excel-

Examplũ turpitudinis.

lunt, ij maximè omnium Ecclesiæ præsidium deserunt. Quæ cùm ita sint, quis in tanta calamitate *Plato.* maiorem in modum eos non laudet, qui cum Platone procul ab omni administratione, præclara illa literarum solatia adamauerunt, quibus ad veri & honesti cognitionem aditus esse solet, quæque ipsa in paupertate diuites, in ærumnis beatos, in doloribus *Epicurus.* felices faciunt? Neque tamen velim Epicurum sequi, quo authore ad Rempublicam accedet nullus. Si enim administrationem rerum à virtute non seponas, quid illo vitæ instituto ad gloriam splendidius esse potest? Qui autem in alio se exercuerunt, mea quidem sententia non sunt improbandi. Sed *Baptismus à Prophetis prædictus.* ad Iudæos redeo. Nam quòd illi Baptismum, tanquam neotericum quiddam aspernantur, parum certè instrumenti ad eos libros, in quibus bonam otij sui partem collocant, mihi videntur attulisse. Quò enim se animo & diuinatione coniecerat Zacharias, quum ait, *Zach. 13.* ביום ההוא יהיהמקור נפתח לבית דוד וליושבי ירושלם לחטאת ולנדה׃ *Fons Baptismi.* In die illo (inquit) erit fons apertus domui Dauidis & incolis Ierusalem in expiationem peccati & sanguinis menstruati? An ad nilos & salientium aquarum ductus cogitatione ferebatur, quibus qui aut laborãdo aut de via fessi essent, sese omnino in Ierusalem recrearent? Quod à dignitate & magnificentia scripturæ alienum est. Verius igitur est, & ad excellentiam præsentionis ornatius, perennem illum fontem & omnibus Ierosolymitanis apertum, ad Baptismum traducere: cuius fructus vberes & diuturnos qui nouerit, feret certè non indigne Circunci

cuncisionis necessitatem cum Baptismo commutatam esse. Quis enim nescit vel ex his quæ anteà exposuimus, Circuncisionem primùm à Domino in notam & signum Abrahamo concessam fuisse? dicente Domino, ונמלתם את בשר ערלתכם והיה לאות ברית ביני וביניכם׃ Et concidetis carnem præputij vestri, erítque vobis in signum fœderis inter me & vos. Iam verò qui Baptismi vim & virtutem accuratius fuerit animo complexus, is in eo nihil nisi diuinum quiddam latere iudicabit. Quis enim tãtum Dei beneficium permagni non faciat, quo publicum illud scelus à patre Adamo nobis velut hæreditarium, quódque & nobiscum natum est, & nobiscum viget, condonatur? Quis spiritum illum Dei in Baptismo collatum non lubens accipiat, cuius gloriam sub orientis primùm fidei nostræ initia etiam videbant ij, qui à tanta pietate erant alienissimi? Itaque bellissimè Esaias de Baptismo & Spiritu sancto loquens, כי אצק מים על צמא ונוזלים על יבשה אצק רוחי על זרעך וברכתי על צאצאיך׃ hoc est, Effundam aquam super sitientem & fluenta in aridam: effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpẽ tuam. Habent ergo ex Baptismo & Spiritum sanctum & ἀλογίαν longè latéque propagari, aditúmque ad supernam illam domum (quę iis qui constanter fidem & nomen Christi auxerint, defenderint, prædicauerint, in cælo definita est) patere: qui tamen primi parentis scelere à tot annis erat interclusus. Sicut enim ille, quia contra edictum Domini in eum fructũ interdictum sibi, ocu-

Circuncisio signum.

Genes. 16.

Esai. 44.

Paradisus.

los & manus iniecerat, amœnißimi viridarij habitatione per Angelum exclusus est, ita & ab eo iusta illa regni Dei hæreditas tanquam ab indigno est ablata: cuius calamitatis succeßus vniuersæ posteritati in eum diem traheretur, donec venisset is quem ornatißimè Zacharias ita nobiscum loquentem facit,

Zach. 9.

Locus veterũ patrum post mortem.

גם את בדם בריתך שלחתי אסיריך מבור אין מים׃ Tu autem, in sanguine testamenti tui emisi vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. quo loco non absurdè dixerit quispiam eas sedes significari, in quibus veteribus illis Patriarchis ceterisque iustis, postquam ex hac vita migrauerant, circunscriptus erat habitãdi locus: qui à Domino sinus Abrahæ nominatur: quam rem audio R. Mosi Gerundensi probari.

Sinus Abrahæ.

Iudæi non agnoscunt peccatum originale.

Quanuis nonnulli inter Iudæos existimauerint, animas iustorum ex his vinculis rectà in cælum contendere. Abiiciunt enim totam de peccato (quod nostri originale vocant) quæstionem. Contra quos Rabi Rahamon ex his verbis Domini ad Abrahamum׃ ואתה תבא אל אבותיך Et ibis ad patres tuos, constanter affirmat, Abrahamum & reliquos eius notæ homines, à vitæ perfunctione in cælum non esse receptos. Si enim ad patres suos, quos constat nefarios idolorum cultus adamasse, Abraham moriens peruenit, consequens est, locum illi in cælo datum non fuisse. Sed tamen totam hanc quæstionem ad Theologos remittamus.

Gen. 15. & 25.

Abrahamus.

His igitur de vita Meßiæ nostri leuiter percursis, oratione conuertamur ad præclarißimam illam mortem, quæ vniuersum hominum genus à turpi

&

& æterna morte liberauit. Quam etsi triumphis Messiæ Dei & tanto splendore minus dignam Iudęi arbitrãtur: difficile tamen illis factu fuerit, Christianos tanto propugnaculo excludere, nisi se sua penitus ignorare, confiteri malint. Itaq; scitè Esaias Iudæos in venturum Messiam parum gratos, animo diuinationis cernens, antequam ad eius mortem oratione deueniret, ait, שמעו שמוע ואל תבינו וראו ראו ואל תדעו· השמן לב לעם הזה ואזניו השע פן יראה בעיניו ובאזניו ישמע ולבבו יבין ורפא לו· Audite (inquit) audiendo, nec intelligite: videte videndo, neque cognoscite. Et iterum, Crassum fac cor populi huius & aures illius obstrue, oculósque obline, ne videat oculis, & auribus audiat, & corde sapiat, vt tandem sanetur. Non solùm igitur Messiam nostrum omnium Prophetarum responsa diuinatione antegressa sunt: sed Iudæorum impietatem & scelus longè sermone præuiderunt. Qua re miror, cur eis in hoc fidei genere facilioribus non vtamur, cùm totius gentis calamitas, æterna & parum liberalis seruitus, & silentio Dei abrogata religio paulatim eos ad hanc suspicionem possint adducere. Verùm vt ait Esaias, עליו יקבצו מלכים פיהם כי אשר לא ספר להם ראו ואשר לא שמעו התבוננו· De eo (inquit) Reges ora continebunt sua: quoniam quibus non est narratum viderunt, & qui non audierunt, intellexerunt. Quibus verbis Christiani designantur: qui cùm iustam illam patrimonij Domini hęreditatem cernere non posse existimarentur, summo tamen Dei erga illos beneficio in amplissimum iustorum collegium

Esaia.6. Iudæi parum videntes.

Esa.52. Christianorũ vocatio.

cooptati sunt: eáque prius senserunt, quàm ad illos
vel minimus rumor esset perlatus. Quis ergo (vt
Esa. 53. ille idem loquitur Esaias) credidit auditui nostro, &
Supplicia & mors Christi ex Prophetis. brachium Domini cui reuelatum est? Quis tanta
animi facilitate esse potest, aut potius à Deo tot vir-
tutum & diuinorum ornamentis instructus, cuius
animis nuntius ille mortis Christi constanter inse-
derit? Quis verò adeò à natura cogitatione abdu-
ctus, in diuinam illam mentem totus decumbit, vt
credat eum cuius beneficio omnes lucem hanc ac-
cepimus, mortem fortissimè obiisse, eáque animi
elatione vniuersos homines ab iniuria mortalitatis
vindicasse? ויעל כיונק לפניו וכשורש מארץ ציה לא
Esaiæ 53. תואר לו ולא הדר. Et ascendit sicut virgultum co-
ram eo, & tanquam radix ex terra sicca, cui nec
forma est nec decor. Qui cùm summam huius vni-
uersi machinam solus contineret, & nominis sui
splendore terras & maria compleret, natus est pres-
Maria radix sicca. sus & tenuis, & quasi radix è terra sitiente, hoc est,
ex vtero virginis Mariæ, quem optimus vates ter-
ram aridam vocat, quòd nullo semine conspersus
fuerit & irrigatus. Quo quid ad eius diuinitatem &
amplitudinem aptius esse posit, vt qui omnibus a-
nimantibus spirabilem animum infuderit, is remo-
ta maris & fœminę coniunctione, ipse sibi esset na-
scendi principium & caussa? quivt hominibus esset
officiosior, & cuiusq; nostrûm fortunæ velut obse-
quentior, cruciandum se perditissimis tribulibus
suis permisit, eíque ex omnium ordinum sententijs
tam grauis pœna dicta est, vt in egregio illo vultu
dignitas & decor facilè desyderaretur. Neque verò
illis

illis satis fuit maiorum iniurias & flagitia ingenuè non confiteri, & tanti sceleris inuidiam non deprecari, nisi etiam se in eam turpissimi facinoris societatem coniecissent, eámque scriptis & lucubrationibus suis, vita denique tota comprobassent. Cui verò vnquam persuasum esse possit, vt qui omnes homines pondere suo facilè erat consecutus, is fuerit nouissimus & despectissimus virorum, vt ab eo omnes ora auerterent, neque possent in tantis eius miseriis vehementer non dolere? Etsi verò plurimùm ad omnium nostrûm miserationem valere debet, audire eum qui Angelos si ita opus fuisset, sibi subsidio poterat conscribere, iis cruciatibus esse affectum, quibus vel scelestissimos subiici nec humanitatis ratio, nec temporum disciplina pati potest. Si quis tamen commodorũ magnitudinem & mirificos fructus, quos ex illa morte optimo cuiq; licet capere, animo cernit, non planè video cur nõ sæuissimam illam cædem omnibus lætitiis potius, quàm mœrore & animi ægritudine prosequi debeamus. Nam vt idem vates locupletissimè testatur, חליינו הוא נשא ומכאובינו סבלם, Infirmitates nostras ipse tulit, & dolores nostros portauit. In quo propria quędam & quasi innata cum ipso Messia animi magnitudo declaratur. Cùm enim ab omnibus seculis peruideret non tantùm sacrificiorũ portenta, aut immolatorum hostias, sed & plurimorum hominum cædes ne minimam peccati labem, si qua concepta est, posse abstergere, quanuis ad id nullis nostris beneficiis inuitaretur, tantùm tamen & voluntati & studiis omnium tribuit,

Christus scelus omnium portauit.
Esaias ibid.

vt pro communi ſcelere vitam conſtanter profuderit,neque dubitarit ſuo capite omnium mortalium velut noxam & periculum præſtare.Præſtans certè & ſingularis illa benemerendi ratio, vt eos ſummis beneficiis & meritis expleas, quos à te animo alieniſsimos fore certiſsimè perſpexeris. Peruidit ſanè pientiſsimus Meſsias quo in legem & patro nos legis animo affecti eſſe debebant ij, qui eam omni ſcelere vaſtarant,& in illius acerrimis vindicibus delendis ſemper fuerant occupati. Qui cùm illis pater bonus & fidelis tutor à ſummo Deo datus eſſet, ab iis de ſuſpecto poſtulatus eſt, qui illo rationem gerente,præſtantiſsimæ legis præclariſsimæq; ſponſionis patrimonium affligi & euerti non poſſe exiſtimauerunt. Quæ cùm tanquam è ſpecula longè antè cerneret, nihilo tamen *illis* factus offenſior,id egit,vt omnium miſereretur,maximéque eorum ſcelera moriendo expiaret, quos nomini ſuo infeſtiſsimos fore iudicabat. והוא מחולל
Eſa.53. מפשעינו מדוכא מעונותינו מוסר שלומנו עליו ובחבורתו נרפא לנו׃ Et ipſe interfectus eſt pro peccatis noſtris, afflictus pro ſceleribus noſtris. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum & in ſanie eius ſanati ſumus. Quantus, Dij boni, futurus ſit ille,in cuius caput ex ſententia ſummi Dei omnium ſcelera redundabunt! Quem quæſo, tanta apud Dominum dignitate & gratia nobis vetera monumenta prodiderunt,qui tot hominum ſupplicia ſolus morte ſua luere poſſet? An verò ſi decies centena hominum millia in Phalaridis equuleo torqueantur,alterius ſcelus obrui aut condonari poſſe

arbitramur? Neq; enim vnquam qui malè egit, alterius pœna nocens esse desinit. Cui igitur tantum virtutis & amplitudinis testimonium à Deo redditum est, vt solus vniuersæ mortalium naturæ debita morte sua dissolueret, is certè reliquum hominum genus dignitate anteuertat solus necesse est, sítque vnus omnibus amplitudine facilè superior. Itaque videant Iudæi ne parum liberaliter & magnificè de Messia suo sentiant, qui eum ipso Mose nihilo præstantiorem, humanitate sola statuunt: quem tamen omnes homines maiestate sua complecti scriptura amplissimè testatur. Quid verò in passione Iesu Christi reperias, quod non idem ille Propheta Esaias scriptis adumbrarit suis? נגש (in quit) והוא נענה ולא יפתח פיו כשה לטבח יובל וכו׳. Percussus & afflictus est, neq; os aperuit, tanquam ouis ad occisionem sublatus est. Quis ergo quum tãtam in tolerandis doloribus animi elationem in Christo cernit, non eò cogitatione deducitur, vt illum ad eam Prophetæ diuinationem credat pertinere? Quis mirificam eius patientiam in cælum laudibus non euehat, qui se ab illis vltimo supplicio affici permiserit, cuius beneficio viuebant ipsi? Sed tamen cùm à principio seculorum diuina illa mens ita statuisset, vt vnius Messiæ interitu omnium hominum scelus deleretur, propius certè fuit, vt in obeũda morte Messias ille bono & constanti animo esset: eáque patientia & velut in malis indolentia vteretur, vt nullo modo ex innocentiæ perfugio salutem sibi tuendam iudicaret. Itaque iocentur quantùm volent, & eam animi modera-

Esa. ibidem.

tionem habeant peccati loco: laudabunt certè ij, ad quos præclarissimi illius facti fructus & hæreditas pertinet. Quod autem ea quæ eodem orationis cursu præsagit Esaias, ad Messiam & Christum Dei referri debeant, satis ex his verbis eiusdem Esaiæ liquere potest, qui paulò pòst ita loquitur, ואת דורו מי ישוחח· Generationem eius (inquit) quis enarrabit? Et rursus, ויתן את רשעים קברו ואת עשיר במותיו על לא חמס עשה ולא מרמה בפיו׳ Et dabit impios pro sepultura eius; & diuitem pro morte eius, quoniam peccatum non fecit, neque fuit dolus in ore eius. Quæ cùm vnusquisque nostrûm legit, Iudæorum veterem illam causam, nisi tam pertinaces habuisset patronos, Christianæ religioni concessuram fuisse facilè suspicatur. Citetur enim ex vniuerso hominum genere aliquis, qui tantùm sibi vendicare suo iure posit, vt offenderit nunquam, & propemodum vixerit inculpatus. Proferatur quæso vel ex tam multis vnus, qui ne minimam quidem vnquam peccati labem contraxerit. An verò cum veteribus illis scripturis, quas diuinitus datas confitentur omnes, quasi falsi contendere audeamus? ex quibus satis supérque patet, homines communi quadam lege à natura editos, vt qui inter eos virtute maximè excelleret, non tamen omnino peccati expers esset: quíque inter omnes iustior numeraretur, vnius tamen diei conuersione multoties caderet. Quòd si cui à Deo tantæ probitatis & innocentiæ iudicium redditur, vt nihil tetri, nihil flagitiosi vnquam admisisse iudicetur, & veluti extra omnem peccati legem sit po-

Messias inculpatus.

Prouer. 24.

sit

ſitus, hunc hnmana imbecillitate nihil habere maius, nefas fortaſſe fuerit exiſtimare. Itaque deſinant nobis eſſe moleſti, ſi eum quem alij Prophetæ Conſilium Dei, alij nulla vnquam peccati macula conſperſum deſignant, Meſsiam appellemus: eúmque diuina mente ab omnibus ſeculis prædi-tum eſſe: & quod totius pietatis primum & ſummum eſt, pro nobis mortem oppetiuiſſe contendamus. Ex quo facilis eſt rectè iudicanti coniectura, quàm fœdè & turpiter impingant Iudæi, qui excellentem illam Eſaiæ de Meſsiæ morte diuinationem, ad impuriſsimam ſuam ſynagogam referant. Nam quod ille idem Propheta de Meſsia loquitur: Iniquitates noſtras ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: &, Vulneratus eſt pro peccatis noſtris, & in liuore vulnerum eius ſanati ſumus: de ſynagoga & familia Iudæorum dictum eſſe, apud homines veritatis amantiſsimos audent prædicare. Quod etſi commentitium eſſe nemo non videt, ne opinor in ea cauſa, quam tot & temporibus & lucubrationibus vſtati erant, hac vna ratione ad extremum concidèrent, audiamus tamen eos, etſi videtur de toto hoc genere conferamus. Aiunt igitur populum Iudaicum captiuum quondam à Caldæis & Romanis abductum duriſsimam ſeruitutem ſeruiiſſe, & illis apud quos in clientela erant, dediſſe pœnarum ſatis, & quondam florentiſsimis rebus ſuis, Imperium illud Iſraël labefactatum & euerſum fuiſſe: atque ita ſe his ſupplicijs, quæ ſunt acerbiſsima, cæterarum gentium flagitia luiſſe: cùm tamen ſibi nullius ſceleris con-

Eſaiæ 9. *Eſaiæ 53.*

Futilis Iudæorum interpretatio.

Captiui Iudæi à Romanis & Caldæis.

ſcij eſſent, neque in eorum ore dolus eſſet inuentus. Sed quæ tanta eſt hominum improbitas, vt quas pro idolorum cultu & cæteris facinoribus ex ſententia Domini, pœnas dependiſſe vatum teſtantur præſenſiones, in reliquorum populorum caput coniiciant, illóſque velut harum calamitatum authores in inuidiam vocent? An verò illis tam parum notus eſt Dominus, vt eo vindice pro his ſceleribus, quæ vnus admiſerit, puniatur alter? plectatur inſons, reus ne appelletur quidem? An cum eo, quem benignitate & miſericordia incredibiliter præſtantem veteres teſtantur ſcripturæ, quaſi iniuriæ audent diſceptare? Adeóne eum, cuius tot ſcriptorum & prodigiorum monumentis pietas deſignata eſt, tantæ ſeueritatis teneri putant? Quis vnquam adduci queat, vt eũ qui ſe in monte Sinai frequenti concione עושה חסד לאלפים, hoc eſt, Miſericordiam in millia conferentem, prædicauerat, exiſtimet de vnius admiſſo pœnam ab altero repetere, neque tot ſeculis potuiſſe fieri placatiorem? Iam verò non eſt conſentaneum, vt qui Niniuitis decreto pœnam iuſtiſſimæ vindictæ conſtituerat, pòſt verò miſeratione motus illis contra proprium edictum, debitum ſupplicium condonauit, eos qui nihil offenderint, aliorum ſceleribus & noxa premat. Quòd ſi hæc ab hominibus leuiter probis aliena eſſe debent, qua tandem fronte de Deo tam abſurdè homines imperiti iudicabunt? Quid, qui ſcelus teterrimum, atque haud ſcio an de omnibus longè maximum, ex quo (vt inquiunt noſtri) præceps fertur ira Dei in filios infidentiæ, pro Sodoma & Amor

Iudæi de clementia Dei ingratè loquentes.

Miſericors Dominus.

Exod. 20. Ierem. 32.

Ion. 4. Niniuitæ.

Gene. 18. Sodoma.

Amorrha tribúſque finitimis ciuitatibus Abrahamo deprecatori permittere paratus erat, hoc leui authoramento, ſi in tanta multitudine viri decem reperirentur, in quibus aliqua virtutis ſignificatio appareret: hîc inſontes pœna coërcere, illiſque nocentium ſcelera imputare exiſtimabitur? Quòd ſi tam parum liberaliter nobiſcum agit Deus, quid eſt quod Rabi Salomon & cæteri in principio Geneſeos tam multa de duabus Dei conditionibus ſcriptis prodiderunt, quarum lege mundum creatum eſſe aſſerunt? Has illi, מדת דין ומדת רחמין, hoc eſt, modum iudicij & modum miſericordię vocant: quæ duo niſi principio rerum omnium ſimul colligaſſet Deus, hoc vniuerſum quem mūdum vocant diutius ſtare non poſſet. Clementia igitur & benignitate Dei, omnia quæ hoc in orbe creata ſunt cōtinentur. Præclara certè illa, & quæ ex veteri Iudæorum ſapientia prodierunt, ſed tamen omnino Rabinorum commentis labefactantur: qui vt noſtra nobis eripiant, ne à ſuis quidem temperare poſſunt. Iam igitur in ſermonibus ſuis Dominum gloriam ſeueritatis affectantem faciunt, illúmque quodam modo naturæ immutant ſuæ. Narrantur in Talmudæis nonnulli, ij & certè illius diſciplinæ longè principes, qui quoties in eum Prophetæ locum dicuntur incidiſſe, vbi ait, שנאו רע ואהבו טוב והציבו בשער משפט אולי יחנן יי׳ צבאות וגו׳. Odio (inquit) habete malum, & diligite bonum, & ſtatuite in foro iudicium, forſan miſerebitur Dominus exercituum, &c. vim lachrymarum profuderunt. Quomodo enim apud Prophetam illi qui

Abraham.

R. Salomon.

Duæ Dei conditiones.

Talmudæi.

Amos 5.

iudicium & iustitiam fecerit, ita dubitanter loquitur Dominus, Forsitan enim miserebitur Deus: cùm ei qui tot virtutum præsidiis vixerit instructissimus, certissima salutis spes à Deo iniici, & velut fides publica dari debuisset. Citatur præterea & alius, qui cùm in eum Genesis locũ legendo deuenisset, vbi decem filij Israël contentionẽ Iosephi fratris & obiurgantis vultum ferre non possent, dicitur collachrymasse. Si enim illi & hominis & propinqui minas & frontem extimuerunt, quo tandem vultu, qua constantia summo illo iudicij die maiestatem sedentis Dei laturi sumus? Etsi verò qui iustius viuunt, ij certè vel maximè omnium varios illius iudicij euentus pertimescunt: sic tamen vel scelerato cuiq; statutum esse debet, facta ad Dominum conuersione, se facilè veniam scelerum suorum consecuturum. Neque enim audiendi sunt ij (in quibus & Talmudæi sunt) qui misericordiam Dei certis quibusdam facinoribus concluserũt, vt alia quædam extra illam aleam ponerent: quod mihi à mente veterum scripturarum videtur quàm remotissimum: in quibus Dominus semper omni pietate & mansuetudine excellens exprimitur. Quòd si Euangelica nostra meditamur, clarius certè est, quàm vt à nobis dici debeat. Nam quod est tantum & tam graue scelus, quod ad benignitatem summi Dei pertinere non possit? Quis tam malè actæ vitæ conscientia retinetur, qui non tantum de beneuolentia Dei sibi possit recipere, vt omnia illius scelera abolitione generali antiquentur. Nam si animum intenderis, clementia valet: sed tamen non

Genes. 42. & 43.

Iudæi quædam crimina extra misericordiam ponunt.

est

est committendum, vt cùm à Deo omnia ad nos abundè sint profecta, soli nobis defuisse videamur. At præclarissimæ sponsionis locuples apud Deum nobis expromissor datus est Christus, qui sanguine suo pro noxis culpísque omnium, non tantùm satisdato cauit, sed gratis etiam iudicatum fecit. Verùm hæc à nostris fusius. Iam igitur Iudæi, omnes gentes flagitiosas, & variis criminibus infames probationibus addicunt suis: se autem viros bonos nullam vnquam peccati labem contraxisse aiunt, testante Propheta de illorum synagoga, Quia peccatum non fecit, & non fuit dolus in ore eius: & tamen se omnium nostrûm peccata tulisse, & debitas reliquis populis pro sceleribus pœnas dissoluisse. Age, possúntne homines impudentes & φίλαυτοι à se ea facinora remouere, quæ totis fermè Prophetarum responsis fusa cumulatissimè visuntur, quorúmque tot fide & meritis præstantes testes in procinctu laudari possunt? Nam si volumus initia repetere, dispiciantur libri legis, quàm ingratè eius patronatum reliquerint, qui eos fusis hostibus à seruitute & bello liberarat. Proferantur libri Iosue & Iudicum, quoties abdicato vero Deo, ad externos Idolorum cultus se contulerunt. Quid verò aliud agunt Prophetæ quàm eorum scelera & sordes plenius enarrare? Videant quæso historiam temporum suorum (quam illi דברי הימי׳ vocant) item & libros Regum, quàm perfidè eum circunscripserint, & ab illo defecerint, cui multis & summis beneficiis erant deuinctissimi. Neque verò me eò quispiam adducet vnquam, vt is Propheta, qui im-

Christus expromissor apud Deum.

Esaiæ 53.

Flagitia Iudæorũ Bibliis consignata.

Paralipomenon.

Iudæi impuri dicti à Propheta. Esaiæ 6.

purum se, & inter ciues labiis pollutos versantem affirmauerat, posteà mutata sententia populũ suum omni bonitate & iustitia præstantem appellare velit. Sed quid est opus tãtorum scelerum memoriam renouare, quorum pœnæ à patribus ortæ, etiam in eorum qui nunc extant lateribus (vt inquiunt) versantur? Itaq; vel diuina scripta abnegent necesse est, vel patres suos nefariorum criminum reos confiteantur. Desinant igitur præclarissimum illud innocentiæ Christi testimonium ad impurissimam suam synagogam traducere: néue ea quæ in se mirificæ impietatis significationem habent, conentur honesti inuolucris contegere, & ipsi vulgo quodam modo probare. Res enim mea quidem sententia sic se habet, vt quæ turpiter & flagitiosè egeris, etiam si Deum & homines sis celaturus, nihilo tamen sint meliora. Quod enim ei rei patrocinium afferatur, quam omnium gentiũ mores & leges tanquam sceleratam condemnarunt. Itaq; si qua nos veri species & forma mouet, totum illum Esaiæ locum Christo nostro reddamus, tantúmq; illi tribuamus, vt meritò solus libertatis nostrę vindex fuisse iudicetur: sitq; ille hac inter nós septus clausula, vt capite suo omnium nostrûm scelera pręstitisse existimetur: cùm tamen nulla vitæ eius pars officio vacauerit, neque quicquam à bono viro alienum vnquam admiserit, meritóq; solus hoc encomio dignus putetur, vt in eius ore dolum non fuisse multorum cõsensu comprobatum sit. Quò etsi satis nos natura ducit, si quis tamen perpetuum illum Esaiæ locũ diligenter animo cernit, tanta ad eius fidem fiet accessio: vt quanuis

uis Christo nostro certamen indixerit, non possit non se succedaneum Christianorum sententiæ adiungere. Quæ enim vnquam à Meßia nostro actio est suscepta, quid egit, aut quid attigit, quod non maximus ille vates oratione expresserit? Qui cùm iustitiæ seminaria toto orbe spargeret, & virtutum omniũ quoddam veluti specimen præberet singulis, את פושעים נמנה, Cum sceleratis numeratus est, idque egit vt salutem omnium, rumoribus anteferret: támq; hominum existimationem parui fecit, vt æquo ferret animo non tantùm ex sceleratis vnum, sed nefariorum omnium principem nominari. At nesciunt homines quantas vires habeat virtus, quámque suis ipsa ornamentis & insignibus sit contenta: quæ si vel ab omnibus repudietur, facilè tamen dignitate sua iniuriam temporum aliquando sit superatura. Itaque Christum nostrum vltimo supplicio affecerint, eiúsque memoriam damnarint licet, sic tamen illius peruicit splendor, vt se ab obliuione & silentio hominum solus vindicarit, multarúmque gentium approbationem mouerit, & tantùm ad hæc vsque tempora permanarit, quantùm ille magnitudine, & rectefactis est consecutus. At eorum qui eum impegerunt sic euolauit memoria, vt ne suorum quidem iuuidiam & accusationem effugere potuerit. Qui igitur Deum optimum maximum innocentiæ & virtutis suæ testem habet, tantùm sibi sumere suo iure potest, vt licet ab omnibus vocetur reus, nihilo tamẽ eius probitas aut debilitari aut infringi queat. Vident ergo Iudæi quantùm illos de Messia nostro

Esa. ibidem: Christus cum sceleratis numeratus.

Virtus.

feſellit opinio, qui fœdam & plenam infamiæ eam mortẽ ſemper cenſuerũt,in qua tamen omniũ virtutũ & triũphorũ ſignificatio illuxit.Nã ſi honeſta mors turpiſsimę ſeruituti ſemper anteponenda eſt, quibus quęſo encomiis perhiberi eum cenſes oportere,qui vitam illam quæ nulli neceſsitati,ſi ita voluiſſet, erat inſeruitura, hominibus donauerit, & proprio periculo nobis ſalutem pepererit? Talis certè qui eſt,etiam ſi inter reos & flagitioſos referatur, ne quidem ille iniuſtus & non bonus eſſe poſſit.

Virtus ex ſe apta.

Neque enim tam parum ex ſe apta eſt virtus,vt in hominum ſermonibus aut vulgi opinatione conſidat.Quis verò ſibi omnino perſuadere poteſt,quę Eſaias eadem verborum conuerſione loquitur,

Eſai.53.

והוא חטא רבים נשא ולפושעים יפגיע׃

Ipſe multorum peccatum tulit, & pro facinoroſis orauit. Incredibilis certè animi moderatio & liberalitas, pro quibus pœnas dederis, pro illis ſalutem à Domino deprecari.

Luc.23.
Paul.ad Hebræos.5.

Quòd ſi à Chriſto præſtitum eſſe Iudæi neſciunt,videant eos qui quondam ſe ad ſcribendam eius hiſtoriam applicauerunt, quanta benignitate & clementia, etiam in ipſis tormentis, pro illis veniam à Domino contenderit, qui eum omni ſcelere cruciabant. Quis igitur in tanto ſcripturarum conſenſu Ieſum noſtrum,Meſſiam & Chriſtum neget? Quis in tam claris Prophetarum præſenſionibus & prognoſticis, illius mortem aut omnino diffiteri, aut confeſſam eleuare queat? Satíſne illæ probationes impletæ ſunt, quæ aliquem non humana tantùm,ſed diuina quadam vi mirabiliter præſtantem, pro ſuis mortem oppetiturum con-

esse pronuntiant? Satis certè supérque mea quidem sententia, nisi apud eos sermonem instituimus, quibus omni scelere & impietate ad tantum cōcentum aures obsurduerunt. Qui enim ita sunt affecti, vt à veri peruestigatione semet voluntate abducant, maiorúmque instituta omni studio & labore tueantur, iis profecto difficilis est omnis doctrina. Non enim sperandum est, vt is ab illis locis fructum capiat, quos ne didicisse quidem velit.

Hæc igitur etsi quantùm ad præsentem scriptionem attinet, satis esse possunt, quia tamen Iudæi tam multa de tribus templis passim in libros conferunt, non vagabor longius, si in hanc quoq; partem à nobis sermo fiat. Statuunt igitur tria templa, quorum primum à Caldæis deletum est, alterum à Romanis, tertium autem in synagogis suis iam à tot seculis construunt & effingunt, futurum quidem temporibus Messiæ Regis, cęteris & magnificētius & plenius: cuius forma ab Esekiele Propheta quondam visa est & descripta. Huius rei locuples argumentum ex trium Patriarcharum numero habere se existimant. Quia enim eum locum, in quo postea à Salomone Rege iussu Domini templum est constructum, & iterum à reliquiis quæ ex captiuitate Babylonis in Iudęam venerunt renouatum, montem Moria ab Abrahamo dictum esse volunt: pòst verò & ab Isaac filio agrum: tertio autem à Iacob domum, ideo ad tres illas appellationes tria templa accommodauerunt. Cùm verò domus artificio & opere monti aut agro facilè præstet, consequens esse volunt, vt tertium illud

Tria templa à Iudæis efficta.

templum dignitate & operis varietate reliquis prę-luceat: quod quidem non ante ædificabitur quàm Meſsias ille Dauid (ſic enim laudato Ezekiele nomen illi indiderunt) Roma rediens cum maximo exercitu Syriam ingrediatur, & noua Dei optimi maximi renuntiatione auctus, prouinciam Imperator obeat. Quæ an vera ſint, parum ad id quod quærimus pertinet. Etſi enim trium Patriarcharum numerum templorum numerus conſequatur, non tamen Ieſum eo nomine Meſsiam negare poſſunt. Quid ſi tria aut quatuor templa fuiſſe probare poſſumus? Nam & tempore Adriani Imperatoris templum inſtauratum fuiſſe teſtantur hiſtoriæ, cùm ille de nomine ſuo Ieroſolymam Æliam appellaſſet. Quod verò hodie in Ieruſalem extat, quondã Chriſtiani conſtruxerunt: cùm ſexies centena hominum millia ex delecta Gallorũ nobilitate ad recuperandam Ieroſolymam, & delendos Sultanorum principatus in orientem eſſent profecta, vbi ad tempora Saladini ſeptem Reges magna cum laude imperauerunt. Quod etſi ad cuiuſque noſtrum domeſticum dolorem pertinere debeat (ſi modò is nobis cum patria intercedit amor, quem natura eſſe voluit) hoc quaſi vnicum fidei noſtrę monumentum à Turcis direptum eſſe: magis tamen dolendum eſt in ea nos tempora incidiſſe, quibus inteſtinis & ciuilibus bellis inter ſe Chriſtiani contendentes, Turcas ipſos ad reliquias Europę videntur inuitare, & quodam modo facilis victoriæ palmam cõcedere. Nam ſi Carolum Magnum, qui primus à Leone Pontifice Imperator occidentis appellatus eſt, meminiſſe ſub

Meſsias Dauid vocabitur Ezek. 37.

Adrianus Imperator. Aelia. Ieroſolyma.

Saladinus.

Inſignis Chriſtianorum clades.

Carolus Magnus. Leo Papa.

lubet,reperiemus profectò non alia de cauſa in illo magiſtratu quaſi collegam Græco Imperatori datum eſſe,quàm vt diligenter caueret,ne Turcæ,qui iam oculos in rem Chriſtianorum iniecerant, in fines noſtros excurrerent,armíſque & vi,Chriſtianorum agris prohiberentur.Quę ſi nos aliquando legendo retinent,cur hoſtis relinquitur,& ſocius hoſtis loco ponitur? cur neglectis Pannonicis rebus longius Othomanorum copiis in Belgis caſtra habentur? cur natalium foci & aræ, Turcarum direptioni deſeruntur,& ſociorũ vaſtantur agri? Quòd ſi is, in quem publicæ ſalutis ergô, oculos defixos habent omnes, his de rebus ne decernit quidem, quid nos tandem ſperare oportebit? Sed vereor ne nos cõmunes miſeriæ à propoſito diducant. Quod igitur Iudæi in ædificando tertio templo architectos ſe,& velut pręfectos fabrûm voluerunt,ne minima quidem ex parte religionem noſtram videntur attingere. Status certè cauſæ erit, an ſtante ſecundo templo Meſſias aduenerit.In quam rem etſi plurima à nobis dicta fuerint, non omittam tamen locum illum Haggęi,ex quo Meſſiam ſecũdo templo veniſſe facilè efficitur: ſed verba eius reddamus, Hag.2.
עוד מעט היא ואני מרעיש את השמים ואת הארץ
ומלאתי את הבית הזה כבוד אמר יי׳ . & paulò pòſt
multò explicatius, גדול יהיה כבוד הבית הזה
אחרון מן הראשון . hoc eſt,Adhuc modicum tempus ſupereſt, & commouebo cælum & terram, & implebo templum hoc gloria, dixit Dominus. Et poſteá, Gloria huius domus vltimæ maior erit quàm prioris. Iam igitur ſi,vt ille idẽ teſtatur Hag-

S

gæus, ſecundum templum ne minima quidem ex parte cum primo conferendum erat,& vt vtar verbis eius, ſi aliud ſpectes, pro nihilo habeatur, quo tandem magnificentiæ genere primo præſtitiſſe arbitramur? Nam quid agebant captiui illi ſenes, qui nuper ex Babylone Ieroſolymam redierant, qui conſtructo ſecundo templo, quoties ſe in memoriam prioris conieciſſent, ſolebant illachrymari? Iam ſi præter ædificij ornatum & formam alia diſpicimus, ſatis ex Rabinorum ſcriptis cõſtat, ea, quibus primum illud templum erat illuſtrius & commendatius, ſecundo defuiſſe. Nam & diuinus ille ignis ſplendor, Hebræi אש שכינה vocant, quo veluti præſens Deus totum templum perluſtrabat, & quodam modo voluntatis ſuæ ſignificationem reddebat, nulli vnquam in ſecundo templo viſus fuit. Præterea arca illa fœderis qua vna (vt ex libris Moſis & aliorum, qui poſt eum ſcripſerunt conſtat) totius Iſraël ſalus nitebatur, in poſteriore domo deſyderata eſt. Omitto הכפתורת, quod Paulus ἱλαςήριον, noſtri Propitiatorium verterunt, & ingentes illos Cherubim gloriæ, quibus olim Deus ab Hebræis inſediſſe prædicatur. Horum ne minimum quidem in vltimo templo ſimulacrum apparuit. Defuerunt etiam & רוח הקודש, hoc eſt, Spiritus ſanctus, & præclara illa ornamenta, in quibus ſummus Pontifex olim reſponſa accipiebat: quæ Hebræi & noſtri etiam Vrim & Tumim nominauerunt: quanuis Rabini omnes horum vocabulorum notationem ſeſe ignorare fateantur. Quæ omnia cùm aliquis noſtrûm animo complectitur, non poſſit addu

Ignis diuinus. *Esſechina.* *Arca fœderis.* *Caphtoreth.* *Ad Hebr. 9.* *Propitiatorium.* *Cherubim.* *Eſaiæ 37.* *Ruah haccodes.* *Spiritus ſanctus.* *Vrim & Tumim.*

duci quin ea reliquo templo lōgè dignitate potiora non iudicet. Citentur enim tot artifices, & cedri delectiſsimæ ex monte Libano: reputentur opera auri & argenti confecta, vt inquit Ennius, *Ennius.*

Arte pauimento atque emblemate vermiculato:

non ſit tamen aliquis tam malè de rebus ſentiens, qui non exiſtimet ad templi gloriam, ex igne illo & cæteris quæ enumerauimus, maiorem quàm ex reliquo opere omni, dignitatis acceſsionem factam eſſe. Horum ergo commendatione, primum templum ſecundo extitit præclarius. Quam ergo ad Haggæum ſignificationē afferas, apud quem Deus optimus maximus templum illud ſecūdum, omni admiratione & gloria primo præſtātius fore prædicit? An quod (vt Iudæi aſſerunt) poſterius quadringentis & viginti annis conſtiterit, primum autem quadringentis & decem tantùm? quod certè ridiculum fuerit dicere. Nam quid ad gloriā, quid ad tantam prȩſtantiam conferre poteſt decennij acceſsio? An verò qui obſcurius, & nulla rei geſtȩ commendatione vixerūt clari, ob id Alexandro Magno aut Cyro anteponantur, quòd illis grandiores natu vita ſunt defuncti? Sed has ineptias omittamus. Si quã nos igitur & ſcripturarum & veritatis argumenta mouent, vno Meſsia ſecunda domus antecedente extitit præſtantior: cuius natiuitas facilè vna omnes prioris templi dignitates ſuperauit. Etſi enim nouiſſimum hoc templum, quo ſtāte natus eſt Chriſtus, dignitate operis primo conceſſerit, hiſque illis caruerit, quæ clamores faciebant in populo: quia tamen in illa tēpora aduentus Meſsiæ incidit, omniū

Tēpus primi & ſecundi templi.

Chriſtus gloria ſecundi tēpli.

profectò concessu,tantę rei maiestas prioris domus luxum & miracula suo pondere peruellit.Nam quę tanta in immenso illo Salomonis opere gloria esse potuit,cuius magnificentiam multa alia apud exteros populos ædificia non sint consecuta?Ac nihil sanè gloriosum est, quod non perpetuum. Quod verò in summa laude ponendum esse ducunt,id illis cum Barbaris (tales enim illis reliqui omnes populi appellantur)commune est. Si autem gloriam gentis & templi non adumbratam quærunt, citent natiuitatem Mesiæ Dei:quo veniente non modò ingens illa structura templi, sed vniuersus orbis fructus gloriæ cepit diuturnos.Quis verò tam temere de Deo sentit,vt illū de ea gloria loqui putet,quam aliquando vastitas belli deletura esset? Quid si ista

Esai.66. Deo ne laudentur quidem? Quem si eum iudicamus esse,qui nobis in veteribus illis scripturis describitur:alienum fortasse à pietate fuerit, si illum de ea gloria verba fecisse arbitramur,quę aliquando tempori cessura esset:de illa autem quæ sola radices agit & propagatur,quæq; se facilè à silentio hominum vendicare potest,ne cogitasse quidem. Sed tamē in eo sunt Iudæi omnes,vt nihil nisi populare,bonum & expetendum putent:dúmque in his quæ corporata sunt,omni studio immori volunt,facilè illis diuinitatis cogitatio de manibus excutitur.Apud eos infinita propemodum de rebus occultisimis recitantur,de his autem quæ cum ratione fidei & veritatis coniuncta sunt,nihil explicāt.Superiorum rerum mysteria ita depromunt,vt quasi cæli ęditu os

Mendacium de luna. fuisse putes.Lunam quā splendoris expertem confiten-

fitentur omnes, cum ipso sole æquali lumine à Deo iam olim creatam audent asserere: sed cùm de Sole apud Dominum contumeliosè esset locuta, ea pœna affectam esse, vt nisi solis beneficio luceret nunquam. Pharaonem, eum qui mandatis Domini longa sententiæ permansione obstitit, viuum ad portam inferorũ deductũ esse commenti sunt, ibique ad finem iudicij perstare, vt Reges gentium & Principes ad inferos contendentes exemplo suo deterreat, eósque de maiestate & præstantia Dei Israël certiores faciat. Ex eo sermone quem Moses in mõte Sinai per quadraginta dies cum Domino habuit, proferunt multa, vt ei colloquio affuisse credas. Quia enim Christiani multos ex archetypis Bibliorum locos ad Trinitatem reiiciunt, ne qui inter eos veritatis essent amantißimi ad nos secesionem facerent, effinxerunt Mosem eo tempore quo 40. diebus apud Deum latuit, ex Domino quęsiisse, cur erroris & offensionis causam multis præstitisset, ex his verbis, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: cùm ex hoc loco impleatur Deum in homine faciendo alium in consilium adhibuisse, qui pari secum & diuinitate & maiestate censeretur, cui Dominus: Qui errare (inquit) voluerit, erret, nihil laboro. Impudens certè & à bonitate Dei alienum mendacium. Itaq; non insciè Paulus noster eos, quibus veritas & religio sunt in amoribus, à μύθοις & fabulis Iudęorum cauere monet, qui iam illis temporibus deliramentis suis legis dignitatem deturpabant. quod mentiendi genus etsi optimus quisque odijsse debet, tamen hoc ipso in reli-

Pharao.

Genes. 1.

gione periculosum est, quòd nõnulli in vetere perfidia malunt consistere, quàm ad veræ fidei cognitionem venire, ad cuius tutelam ex fabulis patrocinium accersitur. Quod enim veritate se defendit sua, id si probationibus extrinsecus adiuues, in dubitationem videaris adducere: & maximè quum argumenta apud homines sua se falsitate produnt.

2. Petri 1. Et optimo sanè iure Petrus Apostolus apud eos, quos societate religionis suæ adiunxerat Domino, prædicat se non in σεσοφισμένοις μύθοις, & arte conquisitis fabulis de Deo & Iesu Christo sermonem instituisse: sed ea se testatò in lucem attulisse, quæ oculis aliquando conspexerat. Itaque in eo quod cæteris probatum volunt, parum admodum proficiunt ij, qui quasi æquitati causę suę non satis fidentes ad portenta fabularum confugiunt. Neque tamen is sum qui omnia quæ Iudæi passim scriptis prodiderunt suis, velut commentitia existimem. Nam & illi multa, antiquitate & veterum patrum memoria cõmendata acceperunt, quæ studio Chri-

2. ad Tim. 3. stiani hominis non indigna iudicauerim. Nam Pau-

Iannes & Iambres. lus ex eorum opinor monumentis, Iannem & Iambrem principes apud Pharaonem magos, actionibus Mosis aduersantes facit, quorum tamen nomina in libris authenticis non leguntur. Ex eodem ni

Michaël. fallor gymnasio, Iudas Apostolus Michaëlem Ar-


In epist. Iud. changelum cum Diabolo de corpore Mosis dimicantem inducit: quod certamen iis scriptis, quę nobis sunt in manibus, proditum non est. Sed tamen in legẽdis Iudęorum libris, talis adhibenda est temperatio, vt ea quisque reiiciat, quæ vel illorum su-

per-

perſtitio, vel flagrans in cæteras gentes inuidia adinuenit. Qui enim non aliud agunt, quàm vt eos Prophetas, quos veritas Chriſtianæ fidei teſtes ſempiternos peperit, aliò detorqueant, ij certè pro religione ſua mentiri habent benefacti loco: & quia ex Prophetis parum gratiæ & momenti cauſæ ſuæ putant accedere, à Talmudæis adiumenta petunt, quaſi ad triarios res tota redierit.

Hæc etſi fortaſſe contractius, quàm tantæ rei maieſtas poſtulare videbatur, ſic tamen ſtatuo, prolixitatem cùm in omnibus rebus, tum maximè in hoc diuinitatis genere non multùm opus eſſe. In quo ſi non ſatisfacio omnibus, mihi tamen & abundè & cumulatè. Neq; enim veritas, quæ ſeipſa ſatis & contenta & apta eſt, ad externa probationum præſidia deducenda fuit: neq; in eo longior ponenda oratio, quod vniuerſum in animis bene à natura informatis iacet.

Lugduni,
Excudebat Matthias Bonhomme.



תרגום קהלת ׳

TARGVM KOHELETH,

Hoc est,

CALDAICA PARAPHRASIS ECCLESIASTIS,

LATINA FACTA,

Authore Petro Costo.

Cui Salomonis Ecclesiastem ex translatione vulgata, aduersum posuimus.

Accessit Epistola in eandem sententiam.

LVGDVNI,
Per Petrum Antesignanum.

M. D. LIIII.

CVM PRIVILEGIO.



PETRVS COSTVS

AMICO LECTORI



תשועה ·

המעיין החביב נרא״ · הנני מקריב אליך הספר הזה הוא תרגום קהלת מועתק מלשון כשדית אל לשון רומ״י ועל דעתי תהיה ההעתקה הזאת מועילה לכל הנוצרים המתעסקים בלשון עברית וכשדית · ואל יפלא בעיניך אם ·תמצא קצת מקומות בזאת המגלה שאינם מבוארים ומועתקים מלה במלה · כי כבר גלוי לפניך שזה הדרך אינו דרך צחות גם לא הרגילו המעתיקים ללכת בו · ואחלה פניך שתאמין כי לא יצאתי מכונת הספר ולא שניתי ענינו כי תמיד היה לנגד עיני ולא נפל ממנו ארצה · ומכל מקום רציתי להועיל גם כן למי שקצרה ידם בידיעת הלשון ההיא · ושמתי על שפת הגליון את הפירוש מלה במלה במקומות רבים אשר ראיתים צריכים אל זה · ואשחרך שתקבל טרחנו זה בלב טוב · ואם ככה תעשה אוסיף לפרש ולהעתיק ספרים אחרים יהיו לך לעזר רב כי חכם אתה ותבין דבר מתוך דבר ·



VIA in hac Caldaica tranſlatione de quibuſdam Hebræorum menſibus obiter dicitur, de illis aliqua adijcienda putauimus. Habent enim Hebræi duodecim menſes, quibus accedit decimuſtertius עיבור Ibbur, hoc eſt, Intercalaris, qui & illis ואדר Veadar, id eſt, & Februarius nominatur.

Horum autem nomina ſunt,

ניסן	Niſan,	*Martius.*
אייר	Iiar,	*Aprilis.*
סיון	Siuan,	*Maius.*
תמוז	Tamuz,	*Iunius.*
אב	Ab,	*Iulius.*
אלול	Elul,	*Auguſtus.*
תשרי	Tiſri,	*September*
מרחשון	Marheſuan,	*October.*
כסליו	Kiſleu,	*Nouember.*
טבת	Tebeth,	*December.*
שבט	Sebat,	*Ianuarius.*
אדר	Adar,	*Februarius.*

ECCLESIASTES SALOMONIS ex vulgata editione.

תרגום קהלת׃

HOC EST,

CALDAICA PARAPHRASIS ECCLESIASTIS, LATINA FACTA.

CAP. I.

1 *VERBA Ecclesiastæ filij Dauid Regis Ierusalem.*

2 *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

3 *Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo quo laborat sub sole?*

CAP. I.



1 ERBA Præsagitionis, quam vaticinatus est Cócionator Salomon, filius Dauid, Rex Ierusalem. 2 Cùm diuinationis spiritu præuideret Salomon Rex Israël, regnũ Rehabam filij sui cum Ierabaam filio Nebat diuisum iri, & imminentem Ierosolymis & templo vastitatem, populúmq; Israël, captiuum ductum iri, ait: Vanitas vanitatum mundus iste: vanitas vanitatum id omne, cui ego & pater operam dedimus, omne inquam, vanitas. 3 Nam quid tandem reliquũ est homini, postquã è vita discessit, ex omnibus studijs suis quę eum sub sole in hac vita occupatum tenuerũt, præter studium legis: vt aliquando futuris

ſeculis, diligentiæ ſuæ à Domino Deo
expẽſum ferat? 4 Dicit item Salomon
Rex in ſpiritu præſenſionis, Optima
ſanè iuſtorum recordatio & ſeries, quę
propter vẽturæ pòſt generationis per-
uerſæ ſcelera ex hac vita migrat: terra
etiam omnibus ſeculis cõſtans & per-
petua, vt quotidie impendẽtem mun-
do vindictam ferat. 5 Et quidem ab
orientis plaga primo die oritur ſol, &
ad veſperam in occaſum vergit, & in
locum ſuum quaſi obrepens, abyſſorũ
iter conficit, ſub ipſámq; auroram ex
eo quo nudiuſtertius conſtiterat loco,
illucet. 6 Curſu ſuo interdiu per Meri-
diem incitatus, nocte ad Septẽtriones
tendit, & per abyſſorum iter rediens,
in ipſa Niſan & Tamuz conuerſione,
ad eam partẽ vergit, quæ eſt Meridiẽ
verſus. Rurſus verò per circuitus ſuos
in regreſſu Tiſri & Tebeth, reuertitur
ad eam partem, quę ad Septemtriones
pertinet. Manè quoq; tanquam per fe-
neſtras ortus egrediẽs, ad multam ve-
ſperã in occaſum venit. 7 Omnes flu-
uij & aquarum riui in Oceanum ex-
currunt, cuius ambitu tanquam annu-
lo mundus continetur. Cúmq; per cu-
niculos & abyſſi commata, quo ex lo-
co defluxerunt fluuij, eòdem ferantur,
Oceanus ipſe nullo completur modo.
8 Ac in perſpiciẽdis rebus futuris, anxiè

4 Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum ſtat.

5 Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibíque renaſcens,

6 Gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem. Luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.

7 Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locũ vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.

8 Cuncta res diſ-

verſati

ficiles, non potest eas homo explicare sermone: non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.

9 Quid est, quod fuit? Ipsum quod futurũ est. Quid est, quod factum est? Ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole nouum:

10 Nec valet quisquam dicere, Ecce, hoc recens est. Iam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos.

11 Non est priorũ memoria: sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in nouissimo.

12 Ego Ecclesiastes fui Rex Israel in Ierusalem:

versati sunt veteres illi Prophetæ, neq;
finem vnquã consequi potuerũt: quã-
doquidẽ nec fas homini videri possit,
de his quæ longè pòst sunt futura, ver-
ba facere: cùm nec euẽtura oculus cer-
nere, nec audiendis mortalium rebus,
auris expleri possit. 9 Quod iam ab
antiquo fuit, id certè post euẽturũ est,
& quod primis illis temporibus factũ
est, id etiam sub seculorũ exitum fiet:
neq; hîc sub sole, neotericum quicquã
reperias. 10 Detur etenim res, de qua
facilè quisquã prædicet: Vide, nouum
inuentum est: verumtamẽ veterũ me-
moria, id aliquando contigit. 11 Ac
profectò præteritarũ nationũ memo-
ria nõ extat, nec earum quæ pòst futu-
ræ sunt recordatio erit ijs, qui tẽpori-
bus Regis Messię victuri sunt. 12 Cùm
igitur Salomon Rex sedisset in throno
Imperij sui, rebus secundis plus æquo
elatus, edictũ Dei transilijt, cõparauitq;
equitia, lecticas & equites multos: ma-
gnam prætereà auri & argenti vim cõ-
gregauit, & affinitate cum exteris na-
tionibus coniunctus est: qua re vehe-
menter commotus Dominus in eum
Asmodeum dæmonũ Regẽ immisit,
qui illum regno priuaret, & annulũ de
manu eius extraheret, perfectũmq; est,
vt ille vagus & profugus orbem pera
graret, hominésq; increparet: rediénsq;

ad prouincias & loca terræ Iſraël, neq;
continēs lachrymas,ſic vociferabatur:
Ego Eccleſiaſtes olim Salomō appella-
tus,fui Rex in Ieruſalē. 13 Animúmq;
adieci vt poſtularē prudentiā à Domi-
no, illo ipſo die, quo in Gibeon appa-
ruit mihi, vt probaret me & ſciſcitare-
tur quidnā eſſet,quod eum rogandum
exiſtimarē.Neq; verò ab eo aliud quic-
quam contendi, quàm ſapientiam: vti
poſſem inter honeſtum & turpe in his
omnibus rebus quę ſub ſole vſuuenire
conſueuerunt,iudiciū & ſcientiam ad-
hibere. Animaduertíq; facinoroſa illa
hominum opera malum quiddam ho-
minibus à Deo datum, vt in eo ſeipſos
conficerent. 14 Vidi opera hominum,
quæ ſub ſole hoc in orbe fiunt: hæc,
inquam,omnia ſunt vanitas, & animi
moleſtia. 15 Vir cuius ſemita in hac vi-
ta extra legem poſita eſt, ſi moriens
ſeipſum non recipit, iam non poteſt
poſt extremum diem dirigi. Atq; adeò
qui legem & mandata viuens non
compleuerit: poſt mortem in eo non
erit, vt in horto amœnitatis cum iuſtis
recenſeatur. 16 Mecum igitur ſic a-
nimo reputans dixi: Proceſſi pruden-
tia, & omnibus ijs ſapientibus præ-
cellui, qui me in Ieruſalem tempore
anteceſſerunt, magnitudinémque, &
cumulum prudentiæ & cognitionis
animo

13 Et propoſui in animo meo quærere, & inueſtigare ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub ſole: hanc occupationem peſſimā dedit Deus filijs hominum, vt occuparentur in ea.

14 Vidi cuncta quæ fiunt ſub ſole: & ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus.

15 Peruerſi difficilè corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus.

16 Locutus ſum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus ſum, & præceſſi omnes ſapientia, qui fuerūt ante me in Ieruſalem, & mens mea contemplata eſt multa ſapiēter, & didici.

17 Dedíque cor
meũ vt scirẽ pru-
dentiam, atque do-
ctrinã, erroréſque,
& stultitiam: &
agnoui quòd in his
quoque esset labor,
& afflictio spiri-
tus:
18 Eò quòd in
multa sapientia,
multa sit indigna-
tio: & qui addit
sciẽtiam, addit &
dolorem.

animo satis perspexi. 17 Méque ipse
dedidi vt intelligerem sapientiã in gu-
bernaculis & moderatione regni: arri-
puíq; animo scientiam & intellectum.
Verùm & hoc ægritudo spiritus est ei,
qui totus in his peruestigandis versa-
tur. 18 Homo etenim omni genere sa-
pientiæ cumulatus, si offenderit, neq;
tandem ad se fuerit reuersus, conflat sa-
nè in se inuidiã & iram Domini, à quo
ille auctus scientia fuerat. Quòd si in-
eunte ætate moriatur, secum ipse inte-
stinam animi molestiam adauget.

CAP. II.

1 DIXI e-
go in corde
meo, Vadam &
affluã delicijs, &
fruar bonis: & vi
di quòd hoc quo-
que esset vanitas.
2 Risum reputaui
errorem: & gau-
dio dixi, Quid fru
stra deciperis?
3 Cogitaui in cor-
de meo abstrahere
à vino carnẽ meã,
vt animum meum
transferrem ad sa-
pientiam, deuita-
rémque stultitiam,
donec viderẽ quid
esset vtile filijs ho
minum, quod facto
opus est sub sole

CAP. II.

1 
ECVM verò taci-
tus dixi, Eia, probabo
me in delicijs, & * vi-
uẽs voluptatibus fru-
ar: & si fortè mole-
stiæ & ægritudines imprudentem me
offendant, dixi & hoc vanitatem esse.
2 Itaq; de lætitia ipso calamitatis tem-
pore sic sum locutus, Ridicula est: &
de gaudio sic sensi, Quid tãdem com-
pendij homini accidere possit, * quòd
eo mirificè incensus fuerit? 3 Animum
autem conuerti, vt inter epulas & po-
cula corpus meum producerẽ, ducém-
que sapiẽtiam sequerer: aut iuuenilem
stultitiam ediscerem, donec mihi &
probatum & perspectũ est, quodnam

* Ad verbum, videbo in bono mundum hunc.

* Ad verbum, quòd illud fecerit.

tandem bonum in homines dimanare potest, ex his quæ dum hac fruuntur luce sub sole faciunt. 4 In extruendis sanè Ierosolymæ magnificis operibus multus fui. ædificaui mihi domos plurimas, sanctuarij opus in expiationem Israël, domum etiam regiam tabulatis compactam, cœnaculum præthereà, & porticum. Item fori & iudicij domum ex lapidibus cæsis & cælatis, in qua sapientes & magistratus ius dicerent: feci tribunal sedem regni ex ebore & elephanto. * Institui in Iabne circuncirca vineas, vt ego & silentiarij mei aliquando epularemur, & vinum nouum & vetus ad altare libaremus. 5 Plantaui hortos irriguos, & amœnitatis plenissima viridaria, vbi omnis generis olera seminaui, quæ ad victum & conuiuia, aut ad sanitatem vsui forent: herbas quoque olfactu nobiles adieci: item & arbores steriles & aromata ferentes, quas ad me dæmones & nocentes angeli ex India detulerant: omnes item arbores fructiferas. Horti autem termini erant à muro Ierusalem vsq; ad littus aquarum Siluah. 6 Adieci prætereà ad domum conuiuij, aquarum fistulas ad arborum & herbarum irrigationem apprimè commodas, fecique ex eis castella & aquæductus, ad syluam varijs arbo

* Ad ver. plātaui.

Siluah.

numero dierum vitæ suæ.

4 Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas.

5 Feci hortos, & pomaria, & conseui ea cuncti generis arboribus.

6 Extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem syluam lignorū germinantium.

7 Poſſedi ſeruos & ancillas, multámque familiam habui: armẽta quoque & magnos ouium greges vltra omnes, qui fuerunt ante me in Ieruſalem.

arboribus conſitam, irrigãdam. 7 Emi
mancipia & ancillas ex filijs Ham, & Ham.
reliquijs gentium exterarum. Habui
rationales annonę domus meæ præfe-
ctos, qui & me & domeſticos duode-
cim menſibus anni exhiberent: alium
verò qui mẽſe intercalari idem præſta-
ret. Poſſedi etiã armenta & greges, eóq;
genere omnes qui ante me in Ieruſalẽ

8 Coaceruaui mihi argentum, & aurum, & ſubſtãtias regũ, & prouinciarũ: feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum: ſcyphos, & vrceolos in miniſterio ad vina fundenda.

fuerunt, ſuperaui. 8 Auri & argenti
theſauros congregaui, conflauíque ex
auro puſtulato ſtateras & pondera æ-
qui & boni. Cenſus quoque regum
& prouinciarum mihi in tributum il-
lati ſunt. In domo verò ſanctuarij fe-
ci modorum inſtrumenta, quibus Le-
uitæ in * faciendis victimis perſona- * Adverb. ſuper ſacrificijs.
rent, citharas inquam, & tibias, qui-
bus inter pocula hymni decantaren-
tur, & reliqua id genus oblectamen-
ta hominum, thermas, & ſecundum
eas ædificatos receptus, ex quibus

9 Et ſupergreſſus ſum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Ieruſalem: ſapientia quoque perſeuerauit mecum.

aquæ tepidæ & calidæ nili duceren-
tur. 9 Deliciíſque difluens opes con-
geſſi, cumulatiores ſanè quàm ante id
tempus in Ieruſalem habuerit nemo:
ídque ſapientiæ meæ acceptum fero,
quæ mihi auxilium præſtabat.

10 Et omnia, quæ deſyderauerunt oculi mei, non negaui eis: nec prohibui cor meum,

10 Quicquid verò ad me referrẽt am-
pliſſimi iudices, ſiue ſuper ſacro aut
polluto, iuſto aut turpi, eorũ interpre-
tationes nõ denegaui: neq; lætitiam, &

hilaritatem animo exclusi meo. Erat quoque otium summum in ea quę mihi diuinitus data erat (qua quidem cæteris hominibus pręstiti) sapientia, meipsum reficere & recreare: ex eáque summam laboris mei voluptatem cepi. Et hæc profectò est optima pars, quæ mihi iam olim constituta est, vt ex ea venturis seculis, omnium molestiarum perfectam mercedē capiam.
11 Cogitatione autem sum conuersus ad omnia ea opera, * in quibus anxiè sum versatus, eósq; labores, in quibus meipsum torsi: hæc verò omnia nihil nisi vanitas & animi ægritudo: neq; aliud ex eis reliquũ est in hac vita, quàm perfecta illa bene actæ vitæ post mortem merces. 12 Animo etiã lustraui sapientiam in regni administratione, & intelligentiam. Quid enim confert homini vti deprecatione, lata iam à Rege sententia, quum iam supplicium vt de eo repetatur, decretum est? 13 Perspexi etiam spiritu prophetiæ, in quo sapientia stultitiæ dignitate antecedit: & tantùm sanè, quantò diei lux tenebris noctis præstantior est. 14 Sapiens enim vel à principio, quæ pòst euentura sunt animo cernit, oránsque infausta Dei iudicia ab hominibus auertit & retardat: sed noui quòd si non orauerit sapiens, neque ex orbe infe-

* Ad ver. quæ fecit manus mea.

quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his quæ præparauerã. Et hanc ratus sum partem meã, si vterer laborẽ meo.

11 Quúmque me cõuertissem ad vniuersa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaue rã, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionẽ animi, & nihil permanere sub sole.

12 Transiui ad contemplandam sapientiam, erroresque, & stultitiã. Quid est, inquam, homo, vt sequi possit Regẽ factorẽ suum?

13 Et vidi quòd tantùm præcederet sapientia stultitiã, quantùm differt lux à tenebris.

14 Sapientis oculi in capite eius: stultus in tenebris ambulat. Et didici quòd vnus vtriusque esset interitus.

infelix illud decretũ depulerit, quum
in mundum veniet vindicta, omnes
eodem euentu censeri. 15 Apud me au
tem sic egi: * Quemadmodum euenit
Sauli filio Kis, idem quoque & mihi
accidet. Hic enim in stultitia sua legis
desertor, dicto Domini quod ei super
Amalech mandatũ fuerat, audiens esse
noluit, decidítque de maiestate Impe-
rij sui: quod mihi etiam idem eueniet.
Quare igitur eo sapientior fui, nisi
quòd iure meo dicere possim, & hoc
vanitatem esse, ídque ex edicto summi
Dei proficisci? 16 Iam verò non est me-
moria in vita futura prudentibus cum
stultis: & simul atq; homo è viuis dece
dit, & ea quæ temporibus suis accide-
runt, & quæ post eum eueniẽt, omni-
no obliuione conterũtur. Quare igi-
tur existimabunt homines eundem iu
storum & sceleratorum euentum esse?
17 Odi certè improbam vitam degen
tes. Neque enim nisi grauatè ferre pos
sum nefaria illa facinora, quorum ho-
mines hoc in orbe sunt perquàm stu-
diosi. Omne enim vanitas, & mole-
stia spiritus. 18 Odi etiã labores, qui
me in hac vita sub sole versarunt.
Quod enim relinquetur Rabaam filio
meo, qui mihi in regnum succedet, in-
surgens Ierabaam seruus eius, decem
tribus de manu illius auferet, & cum

* Ad ver. sicut euentus Saulis filij Kis, ego Rex.

15 Et dixi in corde meo, Si vnus & stulti, & meus occasus erit, quid mihi prodest, quòd maiorem sapientiæ dedi operam? Locutúsque cum mente mea, animaduerti quòd hoc quoque esset vanitas.

16 Non enim erit memoria sapiẽtis similiter vt stulti in perpetuũ: & futura tẽpora obliuione cuncta pariter operient. Moritur doctus similiter vt indoctus.

17 Et idcirco tæduit me vitæ meæ videntem mala vniuersa esse sub sole, & cuncta vanitatem, & afflictionem spiritus.

18 Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissimè laboraui habiturus hæredem post me.

eo in ſocietatem regni veniet. 19 Cui
verò probè iudicatum eſt, ſapiens erit
an ſtultus Rex, qui mihi ſucceſſor futu
rus eſt, quíque in omnibus his labori-
bus quibus hîc operam dedi, in iíſque
rebus, quas ego bene & prudenter in
hac vita geſſi, imperabit. Stupens igi-
tur mecum ſic animo reputaui, & hoc
vanitatem eſſe. 20 Conuerſúſque ſum
vt mentem adducerem ad eas ſolicitu
dines, quibus vt nonnulla acquirerem
planè ipſe ſum confectus: & ſapiētia in
rebus gerendis hoc in orbe proceſſi.
21 Hominē enim inuenias cuius ſum-
mum in ſapientia, cognitione rerum,
& iuſtitia ſtudium erit: is abſq; liberis
ex hac vita migrans, cui non vigilaue-
rit, ſua tanquam illius partem derelin-
quet. Nunquid & hoc vanitas & inſi-
gne malum? 22 Quid enim homini ex
his curis & concurſationibus, quibus
ſe ſub ſole viuens tam ſtudioſè ad-
dixit, compendij accedere poteſt?
23 Cùm omnes dies calamitoſiſſimi
& indignitatis pleniſſimi, illi illu-
ceant: nec à tot cogitationibus ani-
mi, ſomnum & quietem impetrare
queat. & hoc certè eſt vanitas. 24 Igi
tur qua alia re ſummum hominis bo-
num cenſeri poſſit, quàm vt edat & bi
bat, *ſéque in luce omniū lautiſſimè
accipiat, faciátq; quę præcepta ſunt, &
cam

* Et corā filijs hominum, animæ ſuæ bonū oſtendat.

*19 Quem ignoro
vtrum ſapiens, an
ſtultus futurus ſit.
& dominabitur in
laboribus meis, qui-
bus deſudaui, &
ſolicitus fui. & eſt
quicquam tam va-
num?*

*20 Vnde ceſſaui,
renuntiauítq; cor
meum vltrà labo-
rare ſub ſole.*

*21 Nā cùm alius la
boret in ſapiētia, et
doctrina, & ſolici
tudine, homini otio
ſo quæſita dimittit,
& hoc quoque va-
nitas & magnum
malum.*

*22 Quid enim pro
derit homini de v-
niuerſo labore ſuo,
& afflictione ſpi
ritus, qua ſub ſole
cruciatus eſt?*

*23 Cuncti dies eius
doloribus & æru-
mnis pleni ſunt, nec
per noctem mente
requieſcit. & hoc
nonne vanitas eſt?*

*24 Nonne melius
eſt comedere, &
bibere, & oſtende-
re animæ ſuæ bona.*

de laboribus suis? & hoc de manu Dei est.

25 Quis ita vorabit, & delicijs affluet vt ego?
26 Homini bono in cõspectu suo dedit Deus sapientiã, & scientiam, & lætitiam: peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluã, vt addat & congreget, & tradat ei, qui placuit Deo. sed & hoc vanitas est, & cassa solicitudo mẽtis.

eam viam ingrediatur, quæ sibi probatur magis, vt tandem illi pro labore bene & feliciter eueniat. Mihi enim ita se res habet, cùm homini in hac vita secundum animi sententiam omnia accidunt, hoc à summo Deo ita esse decretum, vt ei sic eueniret.
25 Ecquis quæso vel in sententia legis vigilãtior fuit, vel circa summi illius venturi iudicij diem solicitus magis quàm ego?
26 Deus enim ei, cuius opera recta sunt, concedit in hoc mundo sapientiam & cognitionem: tandem quoque venturo seculo lætitiam. Improbo verò subijcit malũ quiddam, vt opes congreget, congerátque res multas mancipi, vt aliquando ab eo receptæ, illi quem elegerit Deus transcribantur. Hoc etiam est vanitas impio & animi ægritudo.

CAP. III.

1 OMNIA tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cælo.
2 Tempus nascẽdi, & tempus moriendi. Tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum est.

CAP. III.



1 MNI sanè homini tempus constitutum est, & cuiusq; rei sua est dies & vicissitudo.
2 Nam & aliquando * definitũ est tempus liberorũ procreationi & soboli: est verò & tempus ferocientes & contumeliosos filios ad pœnam deposcendi, vt illi ex præscripto iudicum lapidibus obruantur:

* Ad ver. tempus electũ. Et sic infrà semper, vbi de temporibus agitur.

ſicut tempus & conſitionibus & euul-
ſionibus arborum ſuum eſt. 3 Tem-
pus ſæpe expoſtulat in bello omnia
* flammis & ferro miſcere, aliud verò
malè habentibus mederi. Sic & tem-
pus eſt domos ſolo æquandi, & tem-
pus aliud eſt collapſa reſtituendi.
4 Tempore ſuo deflendi ſunt ægri, &
alio tempore hilaritate & riſu recolli-
gendus eſt animus. Statuta die lugen-
di ſunt mortui, & alia die gaudio exul-
tandum eſt. 5 Tempus eſt aceruum
lapidum proijciendi, & aliud etiam ad
ædificium lapides congregandi. Suo
tempore ad vxorem viro eſt aditus,
ſeptem verò diebus luctus longè ab
ea recedendum eſt. 6 Tempus eſt o-
pibus diſquirendis ſtatutum, & aliud
quæſitas longè à ſe abdicandi. Certo
tempore res ſunt ſeruandæ, tempore
verò ſæuientis tempeſtatis, in mare ia-
ctura facienda eſt. 7 Die ſua ſuper
mortuo veſtis eſt concidenda, & tan-
dem etiam fractura ſarcienda eſt. Ali-
quando ponendus eſt orationi & pre-
cibus modus, aliâs verò contentione
verborum vtēdum. 8 Quodam* tem-
pore nos inter nos amemus neceſſe
eſt, alio verò ſceleratos odiſſe debe-
mus. Tēpus eſt bello decertandi, aliud
etiam pacis faciendæ. 9 Quî verò cō-
ferre poteſt homini labor quo aſſiduè
in

* Ad ver. occidere.

* Ad ver. tempus electū, vt amet vnus ſocium ſuum.

*3 Tempus occidē-
di, & tempus ſa-
nandi. Tempus de-
ſtruendi, & tem-
pus ædificandi.*

*4 Tempus flendi,
& tempus riden-
di. Tempus plan-
gendi, & tempus
ſaltandi.*

*5 Tempus ſpargē-
di lapides, & tem-
pus colligendi. Tē-
pus amplexādi, &
tempus longè fieri
ab amplexibus.*

*6 Tempus acqui-
rendi, & tempus
perdendi. Tempus
cuſtodiendi, & tē-
pus abijciendi.*

*7 Tēpus ſcindēdi,
& tempus conſuen
di. Tempus tacen-
di, & tempus lo-
quendi.*

*8 Tēpus dilectio-
nis, & tempus odij.
Tempus belli, &
tempus pacis.*

*9 Quid habet am-
plius homo de labo-
re ſuo?*

in theſauris cumulandis,& opibus diſ-
quirendis frangitur, niſi propitio &
dextro aliquo ſuperiore ſydere vtatur?
10 Vidi ſanè ſupplicia, & ærumnas à
Deo hominibus datas,quibus ſcelerati
affligerentur. 11 Prophetico ſpiritu lo-
quens Salomon ait, Omnia fecit Deus
tempore ſuo pulcherrima. * Opportu-
num enim iudicauit, vt ea quæ tem-
poribus Ierabaam filij Nebat diſſenſio
fuit,futura tamen vt in tempus Sebaa
filij Bicri conferretur, paululùm ſuſti-
neretur,& temporibus Ierabaam eue-
niret.ſi enim diebus Sebaa contigiſſet,
domus ſanctuarij vix temere fuiſſet
ædificata, propter aureos illos vitu-
los, quos impius Ierabaam conflauit:
quorum vnum in Beth-el, alium in
Dan conſecrauit: & ſtationarios mili-
tes totis itineribus ſcripſit, vt ſacrifi-
cia & feſtorum dierum victimas an-
tiquaret. Quæ controuerſia vſque
dum conſtrueretur templum, pau-
lulùm retardata eſt. Quocirca neque
remiſſior factus eſt Iſraël in ædifican-
do. Verùm & deſcriptum illud & ex-
ciſum in lapide Sathio nomen, eos la-
tuit:præſciebat enim ſceleratas eorum
cogitationes. Quod quidem nomen
ſi quiſquam potuiſſet animo com-
plecti, in eius vſu verſatus, inueniſ-
ſet quæ nouiſſimis temporibus ſub

10 Vidi afflictionem, quam dedit Deus filijs hominum, vt diſtendãtur in ea.

11 Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem.

* Ad ver. quod cõueniens fuit.

Lapis Sathius.

finem ſeculorum futura ſunt. Dies
etiam vitæ extremus eos latuit, ne ho-
mini exploratum eſſe poſſit, quid à
capite ad rerum calcem euéturum eſ-
ſet. 12 Dixit verò ſpiritu prophetiæ
Salomon rex, Perſpectum mihi eſt ni-
hil aut melius, aut præſtantius homi-
nibus datum, quàm vt gaudio legis
ſeipſos recreent, totámque vitam opti-
mis operibus tranſigant. 13 Atque
adeò qui ederit & biberit, ſibíque to-
to æuo indulſerit, & filijs moriens
fructus laboris ſui reliquerit,* hoc ipſo
videatur ſummo beneficio affectus
à Deo. 14 Peruidi etiam quæ fecit
Dominus in hoc mundo probis &
inſipientibus. Quod enim decretum
eſt ab eo, hoc erit conſtans & perpe-
tuum: neque ad illud homini licet vel
addere vel derogare. Quũq; in mun-
dum aduenerit vindicta, * credenda
eſt dimanaſſe à ſummo Deo, vt eum
homines obſeruent & colant.
15 Quod iam ab antiquo fuit,* ſic tũc
affectum erat, vt iterũ eueniret: quód-
que ſub ſeculorum exitum futurum
eſt, hoc & iam acciderat: ſummóq; illo
die repetet Dominus pauperem & af-
flictum de manibus ſcelerati, qui illum
peſſimis habebat modis. 16 Iterúmq;
* ſub ſole vidi forum iudicij, in quo
conſcripti corrupti iudices, innocuos
cond

12 Et cognoui quod non eſſet melius, niſi lætari, & facere bene in vita ſua.

13. Omnis enim homo qui comedit & bibit, & videt bonum de labore ſuo, hoc donum Dei eſt.

14 Didici quòd omnia opera, quæ fecit Deus, perſeuerent in perpetuum. Non poſſumus eis quicquam addere, nec auferre quæ fecit Deus vt timeatur.

15 Quod factum eſt, ipſum permanet. Quæ futura ſunt, iam fuerunt, & Deus inſtaurat quod abijt.

16 Vidi ſub ſole in loco iudicij impietatem, & in loco iuſtitiæ iniquitatem.

* Ad ver. donum eſt quod illi datum eſt à Deo.

* Ad ver. hæc fecit dominus.

* Ecce hoc quondam, vt eueniret.

* Ferè ſemper in Caldæo habetur, In hoc orbe ſub ſole: quæ ſæpe prudens omiſi.

condemnarent, nocentésque senten-
tijs suis absoluerent: & locum in quo
inuenitur iustus, prætereà & impius
qui ei præsit, propter peccata genera-
17 tionis huius. 17 Verùm sic mecum
tacitus dixi, Summo illo iudicij die, iu-
stos & impios iudicabit Deus: omníq;
operi statutum est tempus: déque his
omnibus, quæ in hoc orbe gesta sunt,
18 ibi * referetur. 18 Sic etiam apud me * Iudicabitur.
sum locutus, Quũ sępenumero dolo-
res & pessimę ægritudines hominibus
accidũt, * hoc sic à Deo esse statutũ, vt * Hoc fecit Deus vt tentet vt probet eos.
eos periculo aliquo probet, videátq; nũ
ad pœnitentiam adducantur, vt dimit-
tatur eis & sanitatem recipiant: impij
vero pecudis vitam degentes, neq; ad
se redeuntes, his arguantur, vt malè
19 illis eueniat. 19 Verùm & hominis
impij & bruti immundi idem euen-
tus est: & quemadmodum polluta be-
stia moritur, sic & vita defungitur is,
qui ante fati diem seipsum nõ recepe-
rit: & spirabilis amborum anima iden-
tidem in omnibus indicatur. Reliquũ
verò scelerato homini à bestia immũ-
da nullum est, præter ipsum sepul-
20 chrum: verùm omne vanitas. 20 O-
mnia in vnum locum receptũ habent,
quíque terram inhabitant, omnes ex
terra creati sunt, & ex hac vita mi-
grantes in puluerem conuertuntur.

17 Et dixi in corde meo, Iustum & impium iudicabit Dominus & tempus omnis rei tunc erit.

18 Dixi in corde meo de filijs hominum, vt probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestijs.

19 Idcirco vnus interitus est hominis & iumentorum, & æqua vtriusque cõditio, sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius. Cuncta subiacent vanitati:

20 Et omnia pergunt ad vnum locum. De terra facta sunt, & in terram pariter reuertuntur.

* Quis ille sapiens.

21 * Quis quæso, tantùm sapientia excellit, vt ei exploratū esse possit, num animi hominum in * cælum peruolent, spiritus verò brutorum animantium defixus humi iaceat? 22 Tādémque perspicio nihil esse in hac vita melius, quàm vt exhilaretur homo in optimis operibus, comedátque & bibat & * animum lætitia afficiat. Hæc enim ei optima pars in hoc seculo assignata est, vt futuram sibi vitam conciliet. Cur enim sic apud se loquetur homo, Quorsum mihi diuitiarū mearum erogatio, vt iustitiam colam? Satius est, vt eas liberis meis relinquam, aut me ipsum extrema senectute tuear. Quis enim ipsum adducet vt videat quæ post eum futura sunt?

* In altum ad firmamētum.

* Exhilaret cor suum. Ferè semper vbi Caldæus habet cor, vertimus animum.

21 Quis nouit si spiritus filiorum Adā ascēdat sursum, & si spiritus iumētorum descendat deorsum?

22 Et deprehendi nihil esse melius, quàm lætari hominem in opere suo, & hanc esse partē illius. Quis enim eum adducet, vt post se futura cognoscat?

CAP. IIII.

1 ONVERSVS etiam animo, vidi contumelias, quibus in hac vita afficiūtur à *contumeliosis iusti: neque reperias hominem, qui eis aliquam consolationem afferat, * aut opprimentium iniurias, vi & armata manu ab eorum ceruicibus depellat, illósque aliqua ex parte leuet. 2 Defunctos ergo qui dudum ex hac vita migrarunt, nihil earum pœnarum viden-

* A manu affligentium.

* Et non est ad liberandum eos de manu affligētium in forū manu & vi.

CAP. IIII.

1 VERTI me ad alia, & vidi calumnias quæ sub sole geruntur: & lachrymas innocentium: & neminem consolatorem, nec posse resistere eorū violentiæ cunctorum auxilio destitutos.

2 Et laudaui magis mortuos, quàm viuentes.

videntes quæ futuro ſeculo poſt mor
tem hominem conſequuntur, laudaui
magis, quàm qui * adhuc hac fruētes
luce varijs ærumnis & calamitatibus
conficiūtur. 3 Sed ambobus felicior
eſt, qui in rerum natura nūquam fuit,
neque vnquam creatus eſt: non enim
ſcelerata illa opera vidit, quę toto orbe
ſub ſole fiunt. 4 Aſpexi etiam labo-
rem omnem, & eorū quæ faciunt ho-
mines decorum. Quid enim aliud eſt
quàm quædā veluti inuidia atq; ęmu-
latio, qua alteri ęmulatur quiſquam, vt
* illum imitādo cōſequatur? Verùm ſi
in aliquē zelotypia ducitur, vt ſicut il-
le, optima gerat & pręſtātiſſima, belliſ-
ſimè cū eo aget Deus. Quòd ſi alicui
in malū æmulatur, * vt cum illo in con
ſuetudinem illius licentiæ veniat, peſſi
mè à Domino multabitur: éſtq; impio
inanitas & animi morbus. 5 Stultus
æſtate * manibus blāditur ſuis, & velu
ti eas oſculis complectitur, neque ſe
labori vult addicere. Ex quo efficitur
vt hyeme ſua omnia concoquat, at-
que adeò veſtiarium, operimentū cor-
poris ſui. 6 Melior ſanè eſt homini
plenus cibi pugillus in tranquillitate
animi, & à furto & rapina alienus, pu-
gillis duobus cibo refertiſſimis vi &
concuſsione conquiſitis. Nam &
hos aliquando in iudicio repenſurus

3 Et feliciorem vtroque iudicaui, qui necdū natus eſt, nec vidit mala quæ ſub ſole fiunt.

4 Rurſum contemplatus ſum omnes labores hominū, & induſtrias animaduerti patere inuidiæ proximi: & in hoc ergo vanitas, & cura ſuperflua eſt.



5 Stultus cōplicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas,

6 Dicens, Melior eſt pugillus cū requie, quàm plena vtraque manus cū labore, & afflictione animi.

* Viuunt in hoc mundo in ærumna vſque adhuc.

* Faciat ſicut ille.

* Ad faciendum ſicut malum eius.

* Vadit, & manus ſuas oſculatur.

est,summa sua molestia & animi per-
turbatione. 7 Conuersus igitur vani-
taté vidi,quæ vt hoc mundo eueniret
iampridem statuta est. 8 Est vir solus
qui nec secundum habet,illi nec filius,
nec filia,nec frater est, qui hæreditatis
iure bona illius capiant:nec tamen vl-
lum laborandi finem facit, nec di-
uitijs expleri oculus eius potest:
neque secum sic loquitur, Cui tãdem
me excrucio, & geniũ defraudo me-
um?Iã nunc surgam ego, & ex substã
tia mea iustitiã colã,&cumulabor gau
dio in hac vita cũ hominibus, futuro
verò seculo cum iustis:& hoc sanè va-
nitas est & res pessima. 9 Meliores iu-
sti duo in generatione vnico:& hi qui-
dem ad syderum rationẽ seipsos com-
ponentes, & verbis annuẽtes paratã il
lis esse futura vita mercedẽ optimã,e-
ius laboris quo seipsos vt æquales suos
enutrirent, impendio defatigarunt.
10 * Si ergo eorũ vnus ęger lecto recu
buerit,alter precibus ad Deũ fusis,eũ à
lecto excitabit. Si verò qui solus est in
familia sua iustus,ægrotus iacuerit, nõ
est illi in cognatione sua comes, qui
pro illo oret: sed * suo ipsius merito à
morbo recreetur necesse est. 11 Acce-
dit quòd si vir & vxor cubitum disces-
serint, mutuũ sibi hyeme calorẽ præ-
stãt:vnus autem qui tandẽ incalescet?

* Si ceciderit vnus ad lectũ & æger recubuerit.

* Per meritũ suum surget à morbo.

7 Consyderãs repe ri & aliam vani- tatem sub sole.

8 Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fra trem, & tamẽ laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat dicẽs: Cui laboro & fraudo animam meã in bonis? & in hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima.

9 Melius est ergo duos esse simul, quàm vnum: habẽt enim emolumentũ societatis suæ.

10 Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia quum ceciderit, non habet subleuantem se.

11 Et si dormierint duo, fouebũtur mutuò: vnus quomodo calefiet?

12 Et si quispiam præualuerit contra vnũ, duo resistũt ei. Funiculus triplex difficilè rumpitur.

12 Quòd si erumpat vir flagitiosus &
potens, cuius reproba opera propen-
sitate quadam ferantur in occasionem
inuehẽdæ in hunc orbẽ vindictę, pro-
dibunt iusti duo ex aduerso, qui meri-
tis suis imminentem hanc vindictam
auertãt. Quàm ergo excellentes sunt
iusti tres in generatione, quibus mer-
ces scripta est: similes sanè propugna-
culis triplici ordine, quæ nisi ægre ex-
pugnari nequeunt. 13 Melior Abra-
ham infans & pauper, à Domino spiri-
tu prophetiæ auctus, cuiq; tres annos
nato cognitus est Dominus, longéque
à cultu illo nefando abfuit, ipso scelera
to Nemrot Rege sene & stulto, qui A-
brahamum idolorum cultui non con
sentientem, in ardentem ignis fornacẽ
iniecit: sed sensim illi obrepsit porten-
tum Domini, qui eum ab incendio li-
berauit: perfectúmque est vt sapientia
ipsum Nemrot fugeret, ne in posterũ
admoneretur non seruire idolis,* quo- ** Quæ coluerat ab antiquo.*
rum cultum anteà adamarat. 14 Igi-
tur à familia idolis seruientium ere-
ptus Abraham, regnauit in terra Cana
næorum, atque adeò imperante Abra
hamo in summam inopiam deductus
est Nemrot. 15 Dicit igitur Rex Salo-
mõ spiritu prophetię à Domino orna-
tus vidi viuẽtes omnes ad defectionẽ à
Rabaam filio meo properantes, eíque

13 Melior est puer pauper, & sapiens, rege sene & stulto, qui nescit præuidere in posterum.

14 Quòd & de carcere, catenísque interdũ quis egrediatur ad regnum: & alius natus in regno, inopia cõsumatur.

15 Vidi cunctos viuentes, qui ambulãt sub sole cũ adolescẽte secundo qui cõsurget pro eo.

partem regni quæ Ierabaam filio Nebat assignetur, abscindentes: verùm curiæ Biniamim & Iehuda * cum filio meo Rabaam in fide permanebunt. Hic alter à me regnabit, erigétque se, & imperabit in Ierusalem loco hæreditatis suç.
16 * Erit sanè infinita multitudo populi Israël, sapientiúmque & iustorum, * quorum ille tutela & præsidio statum Reipublicę contineat, qui quidem sapienter ei consulent vt iugum & onus illorum paululùm subleuet. Sed viam stultitię ingrediens, summam consilij ad iuuenes referet, qui eum imprudenter adducét, vt in populum Israël onus regni aggrauet. Relinquens verò seniorum consilium, in posteriorum sententiam faciet discessionem. Qui re tandem perspecta mirabuntur, parúmque voluptatis ex eo capient. In causa enim erunt, vt decem tribus occasione quæsita de eius Imperio decedant, quibus regnaturus est nefandus Ierabaam. Dixi ergo & hoc vanitatem esse & molestiam animi filio meo Rabaam.
17 Tu igitur homo quum oraturus in templum pergis, obserua pedem tuum, neq; eò peccatis scatens & plenus venias, nisi prius ad te rediens patientem aurem accommodaris suscipiẽdæ à sacrificis & sapientibus doctrinæ legis. Neq; imitare stolidos

dos

* Erit cor eorum perfectũ cũ puero, ipse est Rabaam filius meus.

* Ad ver. Nõ est finis omni populo.

* Vnde erit seipsum regẽs per eos.

16 Infinitus numerus est populi omnium qui fuerunt ante eum: & qui posteà futuri sunt non lætabuntur in eo: sed & hoc vanitas & afflictio spiritus.

17 Custodi pedem tuum ingrediẽs domum Dei, & appropinqua vt audias. Multò enim melior est obedientia, quàm stultorũ victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali.

dos homines, qui holocaustomata pro peccatis offerunt, neque tamen se à nefandis operibus quæ manibus quasi * concluserunt suis, auocant. Ideo Dominus animo placato ea non suscipit: cùm nec illi inter bonũ & malũ facere discrimen norint.

* Apprehenderunt.

CAP. V.

CAP. V.

1 NE temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cælo, & tu super terram, idcirco sint pauci sermones tui.

2 Multas curas sequũtur somnia. & in multis sermonibus inuenietur stultitia.

3 Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim ei infidelis, & stulta promißio: sed quòdcunque voueris, redde.

4 Multóque melius est nõ vouere, quàm post votum promissa non reddere.

1 
NE inconsulto sermone prorũpas * in verborum strepitũ. * Neque præceps animus tuus feratur, vt vim & orationis aculeos effundas, quum tu ad Deum deprecaturus venis. Nam in vniuersum orbem principatum obtinet Deus, sedétque in summo cælo, veluti sede gloriæ suæ: tu verò cùm depressus humi iaceas, * in dicẽdo moderatione vtere. 2 Nam sicut cogitationes nostras somnia consequuntur, sic & stultorum vox ad verborum vel inanium varietatem fertur. 3 Quum quid Domino voueris, ne sis aut tardior aut remissior ad dissoluendum: neq; enim Deus propensitate in stultos ducitur, qui in pollicitationibus suis plus æquo negligentes, nihil earum rependunt. Quod igitur voueris redde. 4 Melius est enim non vouere, quàm promittere & non explere.

* Ad constituenda verba oris tui.

* Neque cor tuum festinet ad educendum sermonem.

* Sint leuia verba oris tui.

5 Ne sermones tuos peruertas, vnde *corpus tuũ in iudicium Gehennę depoſcatur. Neque enim ſummo iudicij die, crudeli Angelo qui tibi imperabit, poteris prætexere, * Imprudens feci. Tunc enim Dominus verbis quæ per contumeliam dixeris, offenſior factus, opera manuum tuarum labefactabit.
6 Tot autem ſomnijs Pſeudoprophetarum, & diuinorum vanis reſponſis, infinitiſq; impiorũ ſermonibus ne fidẽ dederis: ſed ſapiẽtes & iuſtos cole & ab eis diſciplinã quęre, Deũmque time.
7 Si * oppreſſos pauperes, & iuſtitiæ patrimonium in aliqua ciuitate direptum vides, ne commoueare, dicens, Qua tandem voluntate in hæc omnia affectus eſt Deus? Ille enim ex ſummo cælo hominum opera & æqua, & iniqua obſeruat, viróſque induſtrios & fortes mittit, qui ſceleratis imperẽt, in eóſque principatum gerant. 8 Omnino autẽ res omnes agricultura dignitate anteuertit. Si autem regni incolæ defecerint, & Rex oppido incluſus illis deditionem fecerit, quum iam cõmeatus & frumentum deeſt, homini agricolę venundabitur, & huius ſeruitutem ſubire cogetur. 9 Mercator * lucro immoriens, & pragmaticus argento congregando nunquam explebitur: quíque impẽſius quęrendis opibus retine-

* Vt cauſam des Gehennæ ſuper ante corpus tuum.

* Error eſt.

* Oppreſſionem pauperũ & rapinam iuſtitiæ.

* Qui deſyderat acquirere pecuniam.

5 Ne dederis os tuũ, vt peccare facias carnem tuam. neque dicas coram angelo, Non eſt prouidentia: ne fortè iratus Dominus cõtra ſermones tuos diſſipet cuncta opera manuum tuarũ.
6 Vbi multa ſunt ſomnia, plurima ſunt vanitates, & ſermones innumeri. Tu verò Deũ time.
7 Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & ſubuerti iuſtitiã in prouincia, non mireris ſuper hoc negotio: quia excelſo excelſior eſt alius, & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alij.
8 Et inſuper vniuerſæ terræ Rex imperat ſeruienti.
9 Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. & hoc ergo vanitas.

tinetur, futuro ſeculo à laude plurimùm aberit,niſi eas ad iuſtitiã cõferat. Quę enim merces in abliguriẽdo prouẽtu? Verùm & hoc vanitas. 10 Quo tempore maior rerũ vbertas eſt,augetur etiã & hominum numerus vt his vtãtur.Quid ergo poſſeſſori cõfert eas cumulare,niſi vt illis bonum faciat, vt * aliquando parata illi futuro ſeculo merces in oculis verſetur? 11 Quàm verò ſuauis eſt ſomnus homini, qui in ſynceritate animi Dominũ mundi coluerit:ei certè in ſepulchro quies eſt & tranquillitas, ſiue paululùm vixerit, ſiue multùm diúq́ue ætate proceſſerit. Poſtquàm enim in hac vita Deo ſeruierit, futuro ſeculo mercedem operum ſuorum capiet.Prudentia quoque legis Dei hominẽ multa ſapientia prędítum,quum in ea ſummã operam nauauerit,& in illius diſciplina ſtudioſè fuerit verſatus, ſic in ipſo ſepulchro cũ eo requieſcet, & ſolum non derelinquet: non aliter ſanè quàm mulier maritum ſuum iacentem non ſolet deſerere. 12 Eſt autem pernicioſum malum quod vidi ſub ſole,cui medicina non eſt: homo qui diuitias congregat, * neque eas ad pietatẽ confert, parùm ſanè peruidens dierũ finem. 13 Hæc enim ſubſtãtia illi in * perniciem venturo ſeculo ſeruatur, & liberis ſuis

10 Vbi multæ ſunt opes;multi qui comedunt eas.Et quid prodeſt poſſeſſori, niſi quòd cernit diuitias oculis ſuis?

11 Dulcis eſt ſomnus operãti,ſiue parùm, ſiue multùm comedat:ſaturitas autem diuitis non ſinit eum dormire.

12 Eſt & alia infirmitas peßima, quam vidi ſub ſole:diuitiæ cõſeruatæ in malum domini ſui.

13 Pereunt enim in afflictione peſſima. Generauit filium,qui in ſumma egeſtate erit.

* Videat futuro ſeculo mercedem datã in oculis ſuis.

* Neque facit ex eis bonum ad finẽ dierũ.

* Ad maleſaciendum illi.

post mortem relicta omnino peribit.
Quia enim malis artibus compara-
uerat, in filium eius non confirma-
bitur, nec illi quicquam erit reliquum.
14 Quemadmodum nudus ex vte-
ro matris prodijt in lucem, nullo ve-
stimento, aut alio quouis bono or-
natus, sic & ad sepulchrum reuerte-
tur, omnibus certè meritis suis spolia-
tus. Ita enim hunc vitæ cursum erat
ingressus. Neque enim aliquod di-
gnum laboris sui præmium receptu-
rus est, quem secum in id quò per-
git seculum, * quasi specimen iustitiæ
suæ in manibus circunfert. 15 Estq;
malum cui mederi nulla ratione pos-
sumus: sicut venit in mundum homo
meritis priuatus, sic in * aliud seculum
perget. Quæ nam igitur accessio illi
esse potest, quòd laborauit vt ventum
aucuparetur? 16 Quinetiam in tene-
bris mansit, * & solus epulatus est, mul-
táque portenta vidit, & in ægritudine,
& iracundia vitæ cursum confecit.
17 Hoc igitur intuens hominibus o-
ptimum vt hîc in eo versarentur, iudi-
caui: vt edant scilicet & bibant fru-
ctum laborum suorum, sic tamen vt
manus * à vi & furto continentes ha-
beât, & dicto legis audientes, afflictos
opibus * tueantur suis: & in omnibus
sudoribus quibus seipsos in hoc seculo
toto

* Vt sit in meritum in manu eius.

* Illud.

* Vt solus panem gustaret.

* Ad vim & furtum nō extendant.

* Misereãtur.

14 Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo.

15 Miserabilis prorsus infirmitas: quomodo venit, sic reuertetur. Quid ergo prodest ei quòd laborauit in ventum?

16 Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis, & ærumna, atque tristitia.

17 Hoc itaque visum est mihi bonũ, vt comedat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo, quo laborauit ipse sub sole numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus, & hæc est pars illius.

18 Et omni homini cui dedit Deus diuitias, atque substantiam, potestatemque ei tribuit vt comedat ex eis, & fruatur parte sua, & lætetur de labore suo: hoc est donum Dei.

19 Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eò quòd Deus occupet delicijs cor eius.

CAP. VI.

1 Est & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines,

2 Vir cui dedit Deus diuitias, & substantiã, & honorẽ, & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desyderat: nec tribuit ei potestatẽ Deus vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas, & miseria magna est.

toto vitę spatio, quod homini in syde-
re suo à Deo assignatum est, malè ha-
buerunt, sibi bellissimè consulant. Hęc
enim illius pars est: extra quã dari po-
test nulla. 18 Cum quo enim sic felici-
ter egit Deus, vt ei diuitias & opes ad-
deret: & his in hoc seculo frui, iustitiam
& pietatem colere, dignámque futura
vita mercedem recepturum cum iustis
in labore suo degere hilariter conce-
deret: * nunquid hoc munere iudicetur * Ecce hoc munus quod datum est illi.
esse auctus felici sydere, à summo Deo?
19 Neque verò tantùm ætate proue-
hitur quisquã, vt dierum suorum * re- * Meminerit.
putationem facere possit, quot ex illis
felices & quot calamitosi illucebunt.
Non enim ex voto & arbitratu homi-
nibus dati sunt: sed à Domino decretũ
perscriptum est, quot ille dies * in luctu, * Affligetur.
quótque in animi tranquillitate sit
transacturus.

CAP. VI.



1 EST & * error quem * Malum.
sub sole vidi, qui in-
ter homines sanè per
quàm multus est.
2 Homo cui dextro
sydere adiecit Dominus patrimoniũ,
dignitatem & opes, cuíq; nihil eorum
deest, quæ ad animum suum pertinere
existimauerit, his tamen illi per Domi-
num propter malefacta sua vti non li-

* Non miseretur agnati ad illum hæreditandum.

cet,sed sine liberis è vita decedit,* neq;
aliquem agnatū sibi in hæreditatis spē
adoptabit:vxor autem eius extero nu-
ptum collocabitur:ad quem in hęredi-
tatem & vsum venient quæcunq; per
sordes acquisierat, nec ex his quicquā
boni egerat. Illi ergo * ascribentur tot
opes in vanitatem & pessimam ęgritu-
dinem. 3 Si centum liberos genuerit
aliquis,multósq; annos vixerit,totámq;
ętatem in imperio & amplitudine ege-
rit, neq; tamen se bonis expleuit suis,
quòd diuitiarum esset amantissimus,
neq; optimam sibi existimationē pe-
perit, tandémq; honore sepulturæ pri-
uetur, prædicaui eo feliciorem aborti-
uum esse, qui hanc lucem ne aspexit
quidem. 4 Nam & cum summa inani-
tate in mundum venit, & in tenebris
nomen eius delituit, quòd longissimè
à iustitia abesset, neq; nomen bonum
conciliasset,vt * memoriam sui ab in-
iuria mortalitatis assereret. 5 Nam &
legis lucem non peruidit, neq; boni &
mali cognitionem perspectam habuit,
vt huius aut futuri seculi delectum fa-
ceret. 6 Si enim bis mille cōplesset an-
nos,neq; in lege operā dedit, & sacra-
mento apud Dominum obstrictus iu-
dicium & iustitiam non fecit,sub mor-
tis diem illius animus præceps in tor-
menta fertur, ad eum locum quò etiā
proper

* Conuertentur.

* Vt esset memoratus.

3 Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures diès ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis substātiæ suæ, sepulturaq́ue careat: de hoc ego pronuntio, quòd melior illo sit abortiuus.

4 Frustra enim venit, & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius.

5 Non vidit solē, neque cognouit distantiam boni & mali:

6 Etiam si duobus millibus annis vixerit, & non fuerit perfruitus bonis. Nonne ad vnū locum properant omnia?

7 Omnis labor hominis in ore eius: sed anima eius non implebitur.

8 Quid habet amplius sapiens à stulto? & quid pauper, nisi vt pergat illuc vbi est vita?

9 Melius est videre quod cupias, quàm desyderare quod nescias. Sed & hoc vanitas est, & præsumptio spiritus.

10 Qui futurus est, iam vocatū est nomen eius: & scitur quòd homo sit, & non poßit contra fortiorem se in iudicio contendere.

11 Verba sunt plurima, multámque in disputando habentia vanitatem.

properant scelerati omnes. 7 Omnis
defatigatio pro cibo ab homine suscipitur, qui tamen facilè verbo Domini educitur. Neq; hominis animus esculentis & potulentis satiari potest.
8 Verùm quid prudenti homini amplius est in hac vita quàm stulto, propter improborū cœtus, à quibus malè accipitur? Et quid, inquam, ei homini afflicto factu opus est, nisi vt in lege Dei animum aduertat, vt possit cognoscere quò tandem sit proditurus, proditurus inquam, * in oculis iustorum ad hortum voluptatis? (* Coram.)
9 Melius est homini ad futurum seculum gaudere, iustitiam colere, & summo iudicij die bonam mercedem operum suorum recipere, quàm hanc vitam in calamitatibus & animi perturbationibus ingredi. hoc enim scelerato homini vanitas est & afflictio
spiritus. 10 Quod in hoc orbe fuit, dudum sanè nomen eius * auditum fuerat, atque ab ipsis Adami primi seculis cognitum, & omne à sententia Domini dimanat, neque licet homini cum Deo longè potentiore, in iudicio * contendere. 11 Sunt certè in hoc seculo res innumerabiles, vanitatis plenissimæ, quibus operam dare quid compendij homini accidere potest?

(* Vocatum.) (* Insurgere.)

CAP. VII. | CAP. VII.

1 
VID verò aliud notitia possis comprehĕdere, quod homini ad salutem conferat, præterquàm ad legem (quæ sola huius seculi vita nominanda est) omni studio incumbere. Reliqua verò vanitatis suæ ætas quam confecit, ipso mortis tempore, illi velut vmbra æstimatur. Quis quoque homini renuntiabit, quod post eum euenturum est in hac vita? 2 Præstantior est optima existimatio, quam sibi quærunt in hac vita iusti, oleo excellenti, quo regum & sacerdotum capita inunguntur: & melior dies quo iacuerit homo, & * in tumulum bono nomine & meritis clarus, elatus fuerit, quàm ille ipse dies, quo improbus in lucem venit. 3 Melius est hominem molestia affectum, vt eum consoleris, adire: quàm ad domum conuiuij * & poculorum, in qua susurrones adsunt, contendere. Luctuosa enim domus omnibus in scopum & finem, vt eò proficiscantur, proposita est: omnibúsque mortis decretũ statutũ est. Igitur in ęrumnosam domũ se recipiẽs vir iustus, * ad pœnitentiam adducetur, & mortis sermones in animũ inducet.

* In domum sepulchri inductus in bono nomine & meritis.

* Et vini.

* Cõuertetur.

1 QVid necesse est homini maiora se quærere, cũ ignorat quid conducat sibi in vita sua numero dierum peregrinationis suæ, & tempore quod velut vmbra præterit? Aut quis ei poterit indicare, quid post eũ futurum sub sole sit?
2 Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa, & dies mortis die natiuitatis.

3 Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domũ conuiuij. In illa enim finis cunctorum admonetur hominũ, & viuens cogitat quid futurum sit.

ducet suũ:& * si aliquo in errore verse-
tur, illum deferens ad Deum faciet cõ
uersionẽ. 4 Vtilior est iracundia, qua
mundi Dominus in hac vita in iustos
excandescit, risu quo cum impijs ioca-
tur. Nam in seueritate vultus Dei, an-
nonæ caritas, & vindicta in orbem per
uadũt, vt iustorum animus melior fiat,
& oratione Dominum deprecẽtur, vt
ad ea miseratione moueatur. 5 Sapien
tum animus euersionem templi luget,
& mœrore conficitur secum reputans
exitium domus Israël. Excordes autem
gaudio elati in domo * lætitiæ epulan-
tur & bibunt, seque lautè accipiunt,
neq; memoria repetũt calamitates * ę-
qualium suorũ. 6 Prestantior est qui in
concione & domo disciplinæ cõmora-
tur, vt sapiẽtis increpationes circa legẽ
intelligat, quàm qui ad harmoniã stul-
torum audiendã se confert. 7 Quid e-
nim aliud est vox stultorum risus & io
cos agentiũ, quàm spinarũ sub aheno
ardentium quidã quasi strepitus & so-
nus? Et hoc certè vanitas est. 8 Vis au-
tem sapientem fallit, quòd à sua ipsius
via se reuocat, & sermone deprauato
prudentiã sapiẽtis animi labefactat, qui
à Deo homini dono datus est. 9 Me-
lior lõgè est negotij exitus ipso princi-
pio. Nam rei vestibulo, iudicari nequit
quis tandem exitus consequatur: at rei

4 Melior est ira risu: quia per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis.

5 Cor sapientium vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia.

6 Melius est à sapiẽte corripi, quàm stultorũ adulatione decipi:

7 Quia sicut sonitus spinarum ardẽtium sub olla, sic risus stulti. sed & hoc vanitas.

8 Calumnia conturbat sapientẽ, & perdet robur cordis illius.

9 Melior est finis orationis, quã principium.

* Si sit in manu eius quicquam mali.

* Risus.

* Fratrum.

E

optimæ euentus facilè homini perspicitur, ꝙ sit auspicatus. Atq; adeò Domino is probatur magis, qui affectibus imperat, & appetitum coërcet, q̃ qui se elationi animi sui domandũ permiserit.
10 Quum autẽ te Dominus in castigationẽ adduxerit, ne præceps animo feraris vt excandescas, & in Dominũ cõtumeliosa verba profundas. Si enim ę-quo animo feras, dimittetur tibi: sin verò detrectaris & exarseris, sic habeto furorem tanto tẽpore ceruicibus stultorum impactũ, donec eos omnino pessundet.
11 Quum verò iniuriam pateris ne dicas, Quî fit ꝙ antiquitus * res erant in tuto, & prima illa secula essent præstantissimá, illiúsq; ætatis homines rectefactis nobis præluxerint: quo nomine omnia ad eos prospera & secũda dimanarẽt. Verùm * longissimè à sapientia, tua hæc abest interrogatio.
12 Pulcherrima verò & bene consentiens sapientia legis cum patrimonio & opibus: sed tamen homini longè melius in tranquillitate cum æqualibus suis, qui hoc in seculo boni & mali cognitionẽ habent, ætatẽ traducere.
13 Nam quemadmodũ homo pręsidio, & velut vmbraculis sapiẽtię defenditur, * sic & sub vmbra pecuniarũ incolumis degit eo potissimùm tempore, quo illas ad iustitiam confert. Et sanè dignitas cognitio

* Bonum erat in mundo.

* Nõ ex sapiẽtia hoc interrogasti.

* Occultatur, vt infrá.

10 Melior est patiens arrogante. Ne sis velox ad irascẽdum: quia ira in sinu stulti requiescit.

11 Ne dicas, Quid putas causæ est quòd priora tempora meliora fuere, quàm nunc sunt? Stulta enim est huiuscemodi interrogatio.

12 Vtilior est sapientia cum diuitijs, & magis prodest videntibus solem.

13 Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia. Hoc autem plus habet eruditio, & sapientia, quòd vitam tribuunt possessori suo.

tionis ſapientiæ & legis, ab ipſo ſepul-
chro ad futurum ſeculũ poſſeſſori vitã
14 *Conſydera opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere quem ille deſpexerit.*
confert. 14 Animum adijce ad opera
& fortitudinẽ Dei, qui cæcos, gibbero-
ſos & claudos creauit, vt per vniuerſũ
orbem proſeminarẽtur. Quis autẽ po-
terit vel ex eis vnũ dirigere, niſi mundi
15 *In die bona fruere bonis, & malam diem præcaue. Sicut enim hanc, ſic & illam fecit Deus, vt non inueniat homo contra eum iuſtas querimonias.*
Dominus, qui ſic eos cõtorſit? 15 Quo
die tecũ feliciter egerit Dominus, rectè
etiã te habe, & de * omnibus bene me- * Omni mundo benefac.
reare: & ne ærumnoſa illuceat dies, tibi
proſpice & aduerte. Diẽ enim ſecundũ
ſcelerato inuicẽ cõiũxit Deus, vt repre-
hẽderẽtur in hoc mundo homines, &
ne in ſe ſiniſtri quidpiã hoc in ſeculo fa
16 *Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ: Iuſtus perit in iuſtitia ſua & impius multo viuit tempore in malitia ſua.*
bricetur aliquis. 16 Omnia hęc vanita-
tis meę tempore vidi: à Domino Deo
decretum eſſe in hoc mundo euen-
tum boni & mali, idque ad ſyderum,
ſub quibus homines nati ſunt, ratio-
nem. Videas enim hominem iuſtũ, qui
in iuſtitia ſua hoc ſeculo ad mortẽ de-
poſcitur, cuius virtus illi ad futurã vitã
ſeruatur: erit autẽ & ſceleratus, qui cũ
flagitijs ſuis ad extremam ętatem per-
ueniat, ei malefactorũ numerus ad vẽ-
turum ſeculum ſeruatur, vt de illis
17 *Noli eſſe iuſtus multùm: neque plus ſapias, quàm neceſſe eſt, ne obſtupeſcas.*
ſummi iudicij die pœnas luat. 17. Ne in
ſententia de impio condemnando fe-
renda in iudicio, ſis æquo religioſior.
Sed te mãſuetudo paululũ moueat, ne
hominẽ omnino deleas. Neq; ſapientię

innitere tuæ ob multam improborum
qui sunt in cursu calliditatem: neque
* Cur hoc vias tuas vastabit? vias eorum animo complectere,* ne te
de optimo vitæ genere deducant.
18 Ne te animi curæ cõficiant, vt pec-
ces multùm: neque te à disciplina legis
Domini alienum facias, vt insanire vi-
dearis. Cur enim causam mortis animę
afferes tuæ, & anni tui fato extremo
præcidentur, cùm nondum aduenerit
moriendi tempus? 19 Bonus est qui
mundi huius profundis & intimis im-
plicatur, vt bona animo suo rependat
in mercatorum via, neque à libris legis
parte se abdicat sua. Qui enim Deum
timet, multos à noxis abducet. 20 Sa-
pientia verò Iosephi filij Iacobi, pluri-
mum ei præsidij & prudentiæ coram
fratribus suis decem iustis attulit: qui
cùm in timore Domini multùm pos-
sent, nihil in eos molitus est mali, quo
tempore in Ægypto essent: neq; etiam
violenter in fratrem irruerunt, qui tum
eorum animos exasperarat. 21 Nõ est
tanta probitate homo in terra, qui to-
to vitæ tẽpore bene egerit, aut Deum
non offenderit. Verùm qui peccauerit,
* Aspicit eum. Deus * in eum veluti oculis propẽdet,
vt ad pœnitentiam adducat, neq; mo-
* Loquuntur. riatur. 22 Omnibus quæ scelerati * au-
ribus inculcant tuis, ne animum adie-
ceris, vt eis morem geras. Neq; dies ve-
niant,

18 Ne impiè agas multùm: & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.

19 Bonũ est te sustentare iustũ, sed & ab illo ne subtrahas manũ tuã, quia qui timet Deũ nihil negligit.

20 Sapientia confortauit sapiẽtem, super decem Principes ciuitatis.

21 Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonũ, & non peccet.

22 Sed & cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accõmodes cor tuum: ne forte audias seruũ tuũ maledicentem tibi.

niant,quibus ſeruum tuum maledictis
te appetentem, æquis auribus feras:
quum * iam nõ poteris te ab eius ma- * Non eſt tibi virtus.
nibus explicare:totus tamen incumbe,
vt iuſtum iudiciũ feras quum dira im-
precabitur,qui tibi æqualis non eſt.
23 Satis enim * tibi teſtis eſt animus, * Nouit cor.
quòd * hoc in genere maledicẽtiæ,fue- * Tu alijs maledixeris.
ris aliquãdo in alios licentior. 24 Quę
dixi ego,horum ſapientia mea pericu-
lum feci, & hæc ſum locutus, iudica-
támq; habui ſapientiam omnem:& tã-
dem tamen à me longiſſimè abfuit.
25 Et ſanè dudum homines fugit eo-
rum quæ à diebus ſeculi fuerũt cogni-
tio, ſecretum abſconditúmq; eſt mo-
riendi tempus. Atq; adeò quis eſt tam
ſapientia prędítus,qui ſecretum aduẽ-
tus regis Meſſiæ diem poſſit perueſti-
gando inuenire? 26 Cõuerſus ſum ve-
rò vt animo ipſe perpenderem,cogno-
ſcerem,probarem & ſciſcitarer ſapien-
tiam,& rationem mercedis quæ iuſtos
pro operibus manet, & ſcelerum quæ
patrarunt impij ſupplicia intelligerem:
item & induſtriam quæ in rebus gerẽ-
dis & regni adminiſtratione verſatur.
27 Tandem autem offendi ego rem
vel ipſo mortis die aſperiorem homini,
mulierẽ quæ marito ſuo tot moleſtias
ſtruit, cuius animo venabula & offen-
dicula impacta ſunt:eiúſq; manus colli-

23 Scit enim conſcientia tua, quia et tu crebrò maledixiſti alijs.
24 Cuncta tentaui in ſapientia. Dixi, Sapiens efficiar: & ipſa longius receſſit à me,
25 Multò magis quàm erat: & alta profunditas, quis inueniet eam?
26 Luſtraui vniuerſa animo meo, vt ſcirem,& conſyderarẽ,& quærerem ſapientiam, & rationẽ,& vt cognoſcerẽ impietatem ſtulti,& errorem imprudentium:
27 Et inueni amariorem morte mulierem,quę laqueus venatorum eſt,& ſagena cor eius. Vincula ſunt manus illius. qui placet Deo,effugiet il

gatæ, ne illas ad mariti obſequium
transferat. Qui ergo coram Domino
iuſtus eſt, eam omnino à ſe per libellũ
repudij dimittet, ſéq; ab ea explicabit.
qui autem in oculis Dei ſceleratus eſt,
in illius manum cõueniet, eiúſq; adul-
terijs irretietur. 28 Ad hoc autẽ quod
inueni, attende quæſo (ait Eclceſiaſtes
dictus Salomo Rex Iſraël) me ipſum ad
ſingulos quoſq; planetas retuli, vt ho-
minum rationem inirem, qualis tan-
dem erit eorum finis. 29 Eſt verò
& aliud cui animum dedidi, ſed nihil
promoui, neque enim à diebus Adami
primi iuueniri potuit homo perfectus
& probus, ſine aliqua peccati labe, vſq;
ad tempora quibus in lucem venit
Abrahã iuſtus, qui ſolus fidelis & pro-
bus inter mille Reges qui ad ædifican-
dum Babylonis propugnaculum con-
uenerant, inuentus eſt: fœminam autẽ
ex tot Regum vxoribus iuſtam, inueni
nullam. 30 Verumtamen vide quid
iuueuerim. Creauit enim Dominus A-
damum illum primum, fortitudine &
iuſtitia præſtantem, ſed Serpens & He-
ua eum feſellerũt, vt fructu arboris ve-
ſceretur: quem edẽtes in ſapientes eua-
derent, & habentes notitiam boni &
mali: ex quo effectũ eſt, vt in ſe & po-
ſteros occaſionẽ mortis aſciſcerent. Et
hunc ſolùm in perquirendis queſtioni-
bus

lam. qui autem peccator eſt, capietur ab illa.

28 Ecce hoc inueni, dixit Eccleſiaſtes, vnum & alterũ, vt inuenirẽ rationem,

29 Quam adhuc quærit anima mea, & non inueni. Virum de mille vnum reperi, mulierẽ ex omnibus nõ inueni.

30 Solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectũ: & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus.

bus illis fructū sunt consecuti, vt mortem in omnes terræ incolas inueherēt.

CAP. VIII.

1 QVIS talis vt sapiēs est? & quis cognouit solutionē verbi? Sapientia hominis lucet in vultu eius, & potētissimus faciem illius commutabit.

2 Ego os Regis obseruo, & præcepta iuramenti Dei.

3 Nec festines recedere à facie eius, neque permaneas in opere malo: quia omne quod voluerit faciet:

4 Et sermo illius potestate plenus est: nec dicere ei quisquam potest, Quare ita facis?

5 Qui custodit præceptum, nō experietur quicquam mali. Tempus & responsionē cor sapientis intelligit.

CAP. VIII.



1 QVIS verò tanta effertur sapientia, vt aduersus prudentiam Domini possit consistere, & in Prophetarum sermonibus germanam interpretationem cognoscere? Sapientia tamen hominis inter iustos & æquales suos illius vultum perlustrat: impudens verò omnino optimū iter in ma-
lum peruertit. 2 Accuratè autem in
præceptis Domini os tuum obserua, vt
ea ne transilias quæ tibi mandata sunt.
In iureiurando quod Deo præstiteris, sis perspectus, vt nunquam frustra
nomē Dei iures. 3 Qúumq; Domini ira
exarserit, ne modum orandi facias, téq;
ad eum citissimè confer, illum deprecare supplex, & ab eo contende placabilitatem & clemētiam, ne luctuosum quidpiā eueniat. Ipse enim totius mundi Dominus, omnia secundum animi
sentētiam facere potest. 4 Quum auditum fuerit decretū Regis, qui in vniuersum orbem principatū obtinet, celeritate incredibili perficitur. Ecquis verò erit qui intercessionē ferat, & dicat, Quare ita statuisti? 5 Qui mādata

Domini obſeruat & colit, nihil mali fu
turo ſeculo experturus eſt. Atque adeò
ſupplicationis tempus, iudicium &
veritas, in ſapientum animis probè
ſunt perſpecta. 6 Nam cuiuſcunque
rei viciſſitudo bona eſt, & mala: & ſanè
iuſta ſententia vniuerſus orbis iudica-
bitur, quo tempore à Domino ſtatuta
eſt futura toto orbe vindicta,* propter
varia hominum ex malefactis mirè ſi-
bi placētium, peccata. 7 Neque tamē
quiſpiam vnquā ſcire potuit, quis eum
exitus conſequatur. Quū enim ita Do-
mino viſum fuerit, vt illū ad ſuppliciū
depoſcat, quis eum certiorem faciet?
8 Nullus in vitalem ſpiritum id impe-
rium obtinet, vt actiones viuentis ani
mæ prohibere poſſit, quò minus è cor
poris vinculis exeat: quis enim eam do
minationem habet, vt ipſo die mortis
amicum liberare queat? Neque certè
impedimenta militaria quicquam opis
ad id duellum conferunt, nec ſummi
iudicij die dominum iniquitas ſua ſer
uare incolumen poterit. 9 Quæ in
hoc ſeculo ſunt, omnia probè peruidi,
animúmque ad cognitionem eorum
quæ toto orbe fiūt appuli, quo tēpore
id agit homo vt alteri * periculū creet.
10 Et verè inſpexi ſceleratos, qui ſe-
pulchris ſunt conditi, & viuis è loco
ſanctiſſimo * in quo iuſti ſedes ſuas ha
bent

* Propter peccata hominū ſacientium mala quę ſuntmulta ſuper eos.

* Malefaciat.

* E medio habitātium ciuitates.

6 Omni enim negotio tēpus eſt, & opportunitas: & multa hominis afflictio:

7 Quia ignorat præterita, & futura nullo ſcire poteſt nuntio.

8 Non eſt in hominis poteſtate prohibere ſpiritum, nec habet poteſtatē in die mortis, nec ſinitur quieſcere ingruente bello, neque ſaluabit impietas impium.

9 Omnia hæc conſyderaui, & dedi cor meū in cunctis operibus, quæ fiunt ſub ſole. Interdum dominatur homo homini in malum ſuum.

10 Vidi impios ſepultos, qui etiā cùm adhuc viuerent, in loco ſancto erant, & laudabantur in ciuitate quaſi iuſtorum operum. ſed & hoc vanitas eſt.

11 Etenim quia nō
profertur citò con-
tra malos sentētia,
absque timore vllo
filij hominum per-
petrant mala.
12 Attamen pec-
cator ex eo quòd cē
ties facit malum,
& per patientiam
sustentatur, ego co
gnoui quod erit bo-
nū timentibus Deū,
qui verentur fa-
ciem eius.
13 Non sit bonum
impio, nec prolon-
gentur dies eius, sed
quasi vmbra trāsf-
eant, qui non timēt
faciem Domini.
14 Et est alia va-
nitas, quæ fit super
terram. Sunt iusti,
quibus mala proue-
niunt, quasi opera
egerint impiorum:
& sunt impij, qui
ita securi sunt, qua
si iustorum facta
habeant. sed &
hoc vanissimum iu
dico.

bent erepti, excesserúntque vt igne &
Gehenna conflagrarent: hodie certè
ex albo ciuium planè deleti sunt: &
quemadmodum cæteris fecerunt, ita
quoque in eos seuerè* constituitur. Et
hoc vanitas est. 11 Quia verò in vin-
dicandis eorum sceleribus, nō ita sub-
ita de illis pœna repetitur, facilè eo-
rum animus in hoc orbe * ad nefarios
conatus adducitur. 12 Cùm autem
sceleratus vel annis centum malè agat,
ei tamen à Domino ad pœnitentiam
laxior prorogatur dies: animo certo
prophetiæ mihi renuntiatum est, pla-
néque compertum habeo, quòd bel-
lissimè cum his agetur qui Deum ve-
rentur & timent, séq; omnino ad vo-
luntatem eius conferunt. 13 Flagitio-
sis verò non bene eueniet, nec futuro
seculo diuturnitas erit: sed hac vita eo-
rum præcidentur dies, erumpéntq;, &
mutabuntur velut vmbra, quòd Deū
cum timore non coluerint. 14 Est &
vanitas quæ pridem vt * omnibus ter-
ræ partibus eueniret, constituta est: iu-
sti scilicet, quibus perinde atque si se
(sicut impijs vsuuenire solet) omnibus
sceleribus polluissent, pessimè euenit.
Sunt verò & impij quibuscum ita agi-
tur, atq; si iustorum more bene agerēt.
Sed tamen in spiritu prophetiæ consy-
deraui, quæ optimis viris hîc contin-

* Fit.

* Impletur ad faciendum malum.

* Super faciem terræ.

gunt infortunia, nequaquam ab eorum ſceleribus dimanare, ſed vt leuiſſimæ culpæ nomine multétur: quæ res illis in perfectam mercedem futura vita aſcribatur. Quæ autem impijs hoc mundo ex animo accidunt, non à iuſtitia illorũ proficiſci, ſed vt in penſum paucorum meritorum quæ fecerunt, reputentur. Quia enim hac vita præmium receperũt ſibi, altero ſeculo expectatione partis ſuæ omnino decidẽt. Dixi tamen & hoc vanitatem eſſe.

15 Et profectò probata mihi eſt lætitia in lege: nec aliud eſt homini bonũ in hac vita, præterquã comedere & bibere, & in labore & parte, quæ homini à ſummo Deo data eſt, animum oblectare, & à furto & violentia manus cõtinere: hoc enim *ei tranquillitatẽ aliquãdo conciliabit, vt tandẽ eorum laborum, in quibus cum quiete omni æuo ſuo, quod ei à Deo fuerat aſſignatũ, laborauit, dignam mercedem ferat.

* Eum aſſociabit in pace illo ſeculo.

16 Quũmq; me ipſum refero ad notitiam ſapiẽtiæ legis, & ad ea penitus videnda quæ in terra fiunt, tãdem experior ſapiẽtem qui ſe ſtudio legis & diſquiſitioni inueniendæ ſapientiæ addicit, nihil niſi moleſtiam conſequi. neque enim interdiu quieſcit ille, neque noctu ſomnum capit. 17 Me quoque conuerti ad opus magnificentiæ Dei, quoni

15 Laudaui igitur lætitiam, quòd non eſſet homini bonum ſub ſole, niſi quòd comederet & biberet, atque gauderet: & hoc ſolùm ſecum auferret de labore ſuo omnibus diebus vitæ ſuæ, quos dedit ei Deus ſub ſole.

16 Et appoſui cor meum vt ſcirem ſapientiam, & intelligerem diſtentionem, quæ verſatur in terra. Eſt homo, qui diebus & noctibus ſomnum nõ capit oculis.

17 Et intellexi quòd omnium operum Dei nullã poſſit homo inuenire rationem eorũ quæ

ſunt ſub ſole, & quantò plus laborauerit ad quærendũ, tantò minus inueniet: etiam ſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire.

quoniam metuendus ille eſt: neque homini datum eſt, opera fortitudinis Domini, quæ toto orbe fiunt, ſequendo aſſequi. Quò enim erit ad ea peruestiganda quę pòſt longè futura ſunt vigilantior, * hòc procedet minus. Nam ſi ſapiens decretum habeat quæ ſub dierum exitum futura ſunt diſquirere, nunquam inuenturus eſt.

* Non inueniet.

CAP. IX.

1 *OMNIA hæc tractaui in corde meo, vt curioſè intelligerẽ. Sunt iuſti, atque ſapientes, & opera eorũ in manu Dei. Et tamen neſcit homo vtrum amore, an odio dignus ſit:*

2 *Sed omnia in futurum ſeruãtur incerta, eò quòd vniuerſa æquè eueniãt iuſto & impio: bono & malo: mundo & immundo: immolanti victimas, & ſacrificia contemnenti. ſicut bonus, ſic & peccator: vt periurus, ita & ille qui verum deierat.*

CAP. IX.

1 
NTER cætera autem animum induxi vt ſciſcitarer, num iuſti & ſapientes homines, & qui ſe eis in diſciplina legis inſtituendos permiſerunt, in manu Domini ſint(à quo pridem in vniuerſum orbem ſtatutum eſt, quid cuiuſque diebus euenturum ſit) imò & amicitiam, qua adamarunt & ſimultatem, qua in alium exarſerũt. * Quis autem Propheta hominũ euẽta præſcire poterit, quæ de illis ſyderũ neceſſitate iamdudum ſtatuta ſunt?

* Nullus eſt homo Propheta.

2 Omnia à ſyderibus pẽdent, & à Domino ſcitũ eſt quod omnibus aliquãdo eſt futurũ: idémq; euentus eſt probo & improbo: ijs qui ſe paulùm à via dimouent iuſtitiámq; animo cõplectũtur, & ijs qui ſe vitijs inquinant: conſecrantibus opes ſuas in ſacrificium, & ijs qui tanquàm impij nihil agũt tale: periuro

homini, & ei qui in iureiurando per-
quàm timidus eſt. 3 Et hoc eſt ſanè fa
tum toti orbi infauſtiſſimum, quod in
mũdo accidit, quòd omnibus terrã in-
habitãtibus idem ſit euentus. Vnde fit
vt hominũ animi, toto vitę ſpatio, tur-
pitudine & prophano quodã cõplean
tur. Sed poſt finem illis ea ſeruantur,
vt aliquãdo cum mortuis hoc nomine
iudicentur. 4 Qui autem ſe omnibus
legis verbis componit, vt futuri ſeculi
ſibi vitam paret, habet ſanè quod ſpe-
ret. Canis enim viuus leone mortuo
præſtantior eſt. 5 Sapientes autem
probè norunt, quòd ſi offenderint, fu-
turo ſeculo tanquam mortui habebun
tur. Sibi itaque diligenter præcauent
ne delinquant: & ſi peccauerint, vt pœ
nitentiæ ſe dedant. Improbi verò quia
dum viuerent, nihil boni aut præclari
egerunt, nihil etiam boni futuro ſecu-
lo penitus norunt: vnde nec illis poſt
fati diem merces aliqua in ſpe poſita
eſt, & è iuſtorum cœtu illorum anti-
quatur memoria. Accedit quòd poſt
mortem nullo in numero ſunt. 6 Nã
& horũ amor, odium & inuidia dudũ è
ſeculo euanuerunt: nec illis aliqua cũ
iuſtis futura vita, boni ſocietas eſt:
neque eis ex omnibus quę ſub ſole fa-
cta ſunt quicquam cõmodi relinqui-
tur. 7 Dicit igitur Salomõ ſpiritu pro
phet

3 Hoc eſt peſſi-
mum inter omnia,
quæ ſub ſole fiunt,
quia eadem cunctis
eueniunt. vnde &
corda filiorum ho-
minum implentur
malitia, & cõtem-
ptu in vita ſua, &
poſt hæc ad inferos
deducentur.
4 Nemo eſt qui
ſemper viuat: &
qui huius rei ha-
beat fiduciam: me-
lior eſt canis viuus
leone mortuo.
5 Viuentes enim
ſciunt ſe eſſe mori-
turos, mortui verò
nihil nouerunt am-
plius, nec habẽt vl
trà mercedem: quia
obliuioni tradita
eſt memoria eorũ.
6 Amor quoque,
& odium, & inui
diæ ſimul perierũt,
nec habent partem
in hoc ſeculo, &
in opere quod ſub ſo
le geritur.
7 Vade ergo, &

comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuũ: quia Deo placent opera tua.

8 Omni tempore sint vestimẽta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.

9 Perfruere vita cum vxore quam diligis cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole, omni tempore vanitatis tuæ. Hæc est enim pars in vita, & in labore tuo, quo laboras sub sole.

10 Quodcunque facere potest manus tua, instãter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapiẽtia, nec sciẽtia erũt apud inferos, quò tu properas.

11 Verti me ad aliud, & vidi sub

phetiæ à Domino illustratus. Omni
bus iustis,& singulis aliquando dictu- Mirus consensus cum Euangelio.
rus est Dominus, Age, iã in gaudio ci-
bum hũc gusta,qui tibi in esum statu-
tus est:hũc enim piè egenis & famẽ pa
tientibus contulisti:& iam alacrior bi-
be id vinũ quod tibi in amœnitatis hor
to reconditum est in mercedem illius
meri quod pauperibus & siti confectis
fudisti. Dudum enim Domino pientis-
simum opus tuũ probatũ est. 8 Omni
tempore sint vestes tuæ candidæ,& pu
rę ab omni peccati labe:& optimũ no
men,primario oleo non absimile,com
para, vt felicissima auspicia in caput
tuũ redundent, neq; te bona deficiãt.
9 Ætatem verò feliciter transige cum
vxore tua, quam tota vanitatis tuæ
vita à Deo optimo maximo sub sydere
tibi donata,mirificè deamasti. Hæc e-
nim portio vitæ & laboris, in quo an-
xiè hoc sæculo versatus es. 10 Quibus
cunq; rebus poteris,iustitiam & pieta-
tem cum pauperibus & egenis colere,
ne sis remissior.Post mortẽ enim nõ est
hominis opus,ratio,scientia & sapien-
tia in ipso sepulchro quò pergis,nec a-
liquid pręsidij præterquàm in solis be-
nefactis & iustitia colloces. 11 Inquit
Salomon Rex, Quum primùm sedi in
orchestrâ regni mei,animo perpẽdi &
cognoui nullos esse in orbe tãta cele-

* Vt aquilæ sint celeres.

ritate, * etiam si cum aquilis in hoc ge
nere sint conferendi, qui ita cursu an-
teuertant, vt à mortis acie se liberare
queant: neque esse hominum multa
fortitudine,aut in prælijs incudis dexte
ritate,vincere in bello:nec esse eorum
qui mirifica sapientia præditi sunt, vt
se famis tempore cibo expleant: aut
eorum qui in rerum cognitione appri
mè sunt cordati in summas opes pro-
uehi: nec intellectũ ipsum aliquid con
ferre doctis,vt Regem ad beneuolẽtiã
& miserationem adducant.Stata enim
dies est, & euentus idem in syderibus
omnibus accidit.
12 Neque verò homi
ni suum tempus notũ est,siue felix sit,
siue inauspicatum,quod in hoc seculo
illi euenturum est. Quemadmodũ e-
nim hamo capiuntur pisces, & decipu
la aues concludũtur,nõ aliter sanè con
cidunt homines eo die, qui vt illis vel
puncto tẽporis accidat à Domino iam
ab antiquo paratus est.
13 Et hanc
quoque sapientiam vidi in hoc mũdo,
quam semper mecũ ipse magnã iudi-
caui.
14 Corpus hominis exiguæ ciui-
tati simile,cuius oppidani paruis admo
dũ præsidijs sunt instructi: * cùm sibi
leuium admodum meritorum consciũ
esset,aduersus illud mouit praua cogi-
tatio,Regi magno & forti non absimi
lis,vt id oppugnaret, eiúsque animum
ad

* Sicut leuia sunt merita in corde hominis.

sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus casúmque in omnibus.

12 Nescit homo finem suũ, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò superuenerit.

13 Hanc quoque sub sole vidi sapiẽtiam, & probaui maximam:

14 Ciuitas parua, & pauci in ea viri. venit contra eã Rex magnus, & vallauit eam, extruxítque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio.

ad defectionem solicitaret, & in errorem adduceret:ædificauítque editũ locum vt ibi consistens,id quò vellet impelleret,& à via coram Domino recta reuocaret:vt tandem infinitis Gehẽnę laqueis captiuum duceret, & septies, peccatorũ nomine,flãma consumeret.

15 Inuẽtúsque est in ea vir pauper & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.

15 Verùm in medio corpore optima quędã & ea sanè debilis,sed plena sapiẽtiæ cogitatio inuẽta est quę obsidionẽ alterius mouit, sibíq; eam viribus sapientiæ subegit.& à iudicio Gehennę, fortitudine & prudẽtia corpus liberauit: eodem sanè modo atq; si vir strenuus fortiter se in bello gerens, animi magnitudine ciues à metu obsidionis eriperet. Posteà verò oblitus homo optimę illius cogitationis,quæ se à periculo liberarat, secum ita loquitur, Iustus sum ego.sicut etiam nec illius oppidi incolæ virum illum pauperem meminerũt,qui eorum salutem seruarat.

16 Et dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine.quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, & verba eius nõ sunt audita?

16 Dixi etiam ego,Iustorum prudentia,fortitudine & viribus improborum longè præstantior est. Illorum enim sapientia & meritum se & suos liberat.Scelerati autem robur,cuius animus tãta fortitudinis suę fiducia effertur,vt ad pœnitentiã non redeat,eum perdit solum. Iusti autem & mansueti probitas à sceleratis planè cõtemnitur, & quo tempore ab eo malefactorum

nomine arguuntur, eiusmodi repre-
hensionis dicto minimè se audientes
præbent. 17 Supplicatoriæ sapientum
preces in taciturnitate factæ, Domino
mundi longè acceptiores sunt, clamo-
re improbi in stultos dominantis,* cui
vel clamanti locus non relinquitur.

* Qui clamans non auditur.

18 Melior est sagacis sapientia die ca-
lamitatis, instrumentis militaribus vel
ipso dimicationis tempore: & scele-
ratus vnus in generatione, sæpe sum-
mum bonum ex orbe dimouet.

17 Verba sapientium audiuntur in silentio, plus quàm clamor principis inter stultos.

18 Melior est sapientia, quàm arma bellica: & qui in vno peccauerit, multa bona perdet.

CAP. X.

1 PESSIMA cogita-
tio in foribus cordis
habitans, similitudi-
ne cum musca con-
uenit, interitúmque
affert mundo, & in id tempus conij-
cit hominem quo peccet: omninóque
delet nomen bonum, iam olim com-
paratum oleo pretioso & mirificè fla-
granti. Quantùm autem sapientium
prudentiæ & diuitum opibus præstat
is, cuius mediocris est & leuis stultitia?
2 Prudentum animus in acquirenda
lege versatur totus, quæ Dei dextera
data est. Stultorum autem animus ad
comparandas diuitias, argentum &
aurum propendet. 3 Quum autem se
stultus in viam sinuosam cöiecerit, fa-
cilè

CAP. X.

1 MVSCAE morientes perdunt suauitatem vnguenti: pretiosior est auro sapientia: paruaque gloria, ad tempus stultitia.

2 Cor sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra illius.

3 Sed & in via stultus ambulans,

cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.

4 Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio faciet cessare peccata maxima.

5 Est & malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie principis:
6 Positum stultum in dignitate sublimi, et diuites sedere deorsum.

7 Vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram, quasi seruos.

8 Qui fodit fo-

cilè à sapientia cor eius alienum est,
& ea gerit, quæ factu haud sanè recta
sunt: vt omnis stultum eum esse
facilè prædicet. 4 Si spiritus prauæ
cogitationis dominatur tibi, id tentans
maximè, vt in te impetum faciat,
ne de optima ea statione in qua
stare consuesti, decedas. Verba enim
legis in medicinam hoc mundo facta
sunt, vt à Domino summa peccata dimitterentur,
& obliuione contererentur.
5 Est & malum quod hoc in orbe
in luce omnium est: quanta incommoda
in orbem inuehunt calumniosa
verba, quæ aperta, & à principe in
quempiam dimanant. 6 Constituit
Dominus improbum & stultum Idumæum
sydere quidem suo exterum, &
felicitate à summo cælo fruentem, fortissimísque
& summis copijs: populum
verò Israël in illius ditione captiuum:
& qui in eo opibus præstabant,
propter multitudinem peccatorum
pauperes effectos, & in summa
humilitate inter populos habitantes.
7 Ait igitur Salomon spiritu prophetiæ,
Vidi populos, qui olim principatu
filiorum Israël tenebantur potentiores
factos, & ducum more in equis
expeditos: Israëlitas autem & qui illis
imperabant, quasi mancipia, pedites
ire. 8 Respondens autem * summa

* Summum ius siue rigor.

Dei iustitia, sic loquitur, Priores illi hoc omne asciuerunt sibi, non aliter atque is qui in biuio cuniculum, & fossam egit, in illam autem necessitate offendit: & populus qui Dei mandata transilijt, superata & traiecta mundi maceria, in manus scelerati Regis incidet, qui eum serpentis more dentibus petet.
9 Inquit verò Rex & Propheta Salomon, Compertum habeo Manassem Iezekiæ filium eò scelerum deductum iri, vt simulachra & lapides adoret: qua re in manus Regis Assyriorum veniet, qui eum domabit frænis: quia vel ab ipsis radicibus sermones legis in tabulis lapideis excisos euulserat: cuius sceleris nomine pœnas certè daturus est. Rab-sacas quoque illius frater futurus est vt ligneas imagines adoret, & de verbis legis, quæ in arca ex lignis Setim fabrefacta, donata & descripta erant, decedat: cuius gratia per manus Angeli Domini igne cremabitur.
10 Quo die in peccata prolapsus est populus Israël, indurarunt etiam, & veluti ferrum riguerunt cęli ne aquam pluuiam demitterent: neque tamen generatio illa Dominum deprecata est: quo factum est vt vniuersus orbis fame frangeretur. Verùm vbi primùm seipsos receperunt, & conuentus habuerunt suos

ueam, incidet in eam: & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.

9 Qui transfert lapides, affligetur in eis: & qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis.

10 Si retusum fuerit ferrum, & hoc non vt prius, sed hebetatũ fuerit, multo labore exacuetur, & post industriam sequetur sapientia.

ſuos,& affectibus imperare cœperunt,
principéſque ad poſtulandam à domino
beneuolentiam præfecerunt, illis
cælum, propter dignitatem & decorum
ſapientiæ illorum, omnia ex animi voto
tribuit. 11 Quum propter
peccata Iſraëlitarum, quòd * in otio ſe ad ſtudium legis non conferrent, pernicioſi
ſerpentes immiſſi ſunt, qui eos morſu peterent, & damnum orbi afferrent,
quænam tandem vtilitas delatori eſſe potuit, qui etiam tertiùm mendax,
Gehennæ flammis tandem ſit comburendus. 12 Sapientis hominis verba,
qui quo tempore vindicta orbi impendet, inuenitur in generatione, ſi orat,
auertit ſanè ſupplicium & Dominum ad miſerationem adducit. Labia autem
inſipientis hominis increpationem iuuehunt, atque adeò vniuerſo orbi interitum.
13 Initiũ orationis illius ſtultitia, & * peroratio prauis motibus ſcatet.
14 Stultus in inani verborum ſtrepitu, quibus nihil opus erat, totus eſt: neque
ſcire quiſquam poteſt, quid illius diebus, & quid ſub eius exitum euenturum eſt.
Quis enim ei renuntiaturus eſt?
15 Labor quo in ſtultitia ſua excruciatur ſtolidus, tantopere illum conficit &
fatigat, vt non ſit edoctus planè ad eam ciuitatem re-

11 Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil cominus habet, qui occultè detrahit.

12 Verba oris ſapientis gratia: & labia inſipiẽtis præcipitabunt eum.

13 Initium verborum eius ſtultitia, & nouiſſimum oris illius error peſſimus.

14 Stultus verba multiplicat: ignorat homo quid ante ſe fuerit: & quid poſt ſe futurum ſit, quis ei poterit indicare?

15 Labor ſtultorum affligit eos, qui neſciunt in vrbem pergere.

* In ſilentio.

* Finis verborum oris ſui motio praua.

ceptum habere in qua ſapientes habi-
tant, à quibus doctrinam ſciſcitetur.
16 Væ tibi terra Iſraël, quo die in te
regnaturus eſt Ierabaam impius, matu
tinis oblationibus modum poſiturus,
& quum principes tui, antequàm au-
roram perpetuis ſacrificijs conſecra-
rint, conuiuijs retinentur. 17 Be-
ne verò tibi erit ô Iſraël, quum ti-
bi Hezekias filius Ahaz, è domo Da
uid Regis Iſraël originem ducens,
imperaturus eſt: qui in lege fortis
& ſtrenuus, reliqua mandatorum
Dei perſoluet. Principes verò tui
poſtquàm oblationis perpetuæ mu-
nus bellè obierint, hora quarta con-
uiuantur, vt ſe à labore recolligant,
quem in excellentia legis impende-
runt, non autem in remiſſione &
oculorum cæcitate. 18 * In ſtudio
legis & mandatorum vir animo fra-
ctus liberis orbatur ſuis. Fœmina au-
tem, ſi negligentius præcepta quæ ei
imperata ſunt, vt à menſtruis polluti
ſanguinis caueret, nõ ſeruarit, ſummo
animi mœrore domi afficietur. 19 * Hi
lares panem faciunt, iuſti, ad edu-
candos pauperes & fame confectos:
vinum quoque quod ſitientibus mi-
ſcent, illis delectationem futuro ſecu-
lo afferet. Pretium etiam redemptio-
nis * teſtimonium iuſtitiæ futuro ſecu
lo

* Ex remiſſione ſtudij legis & mandatorũ liberis, &c.

* In riſu.

* Captiuorum, ſupple.

16 Væ tibi terra, cuius Rex puer eſt, & cuius principes manè comedunt.

17 Beata terra, cuius Rex nobilis eſt, & cuius principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiẽdum, & non ad luxuriam.

18 In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuũ perſtillabit domus.

19 In riſu faciunt panem, & vinum vt epulentur bibentes: & pecuniæ obediunt omnia.

lo pro eis in luce omnium reddet.

10 In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui non maledixeris diuiti: quia & aues cæli portabunt vocem tuam: & qui habent pennas, annuntiabunt sentẽtiam.

20 Tu autem ne tacitus apud te in
intimis & abditis cordis, Regi prauè
impreceris:neque in penetrali thalami
tui, sapienti maledixeris. Raziel enim Raziel.
Angelus, omni die super montem Ho
reb clamat, & in vniuersum orbem
vox eius peruagatur. Elias quoque sa Elias.
cerdos magnus, velut aquila summis
alis prędita volans, aërem & cęlos per-
lustrat, & quæ occultè facta sunt, o-
mnibus terram inhabitantibus defert,
& renuntiat.

CAP. XI.

CAP. XI.

1 MITTE panem tuum super transeuntes aquas: quia post tẽpora multa inuenies illum.

1 
ROTENDE pa
nem dimensi tui pau
peribus, qui manè in
uecti oram maris le-
gunt: multo enim
pòst tempore, futuro seculo merce-
dem inuenies. 2 Optimam partem se-
minis confer mense Tisri in agrum
tuum, neque tamen & mense Kisleu
à seminando auoceris. Neque enim
tibi exploratum esse potest ipsi terræ
imminens malum, prima an secun-
da sementis superatura sit. 3 Si
imbribus nubes compleantur, eos
propter iustorum merita in terram
spargunt & effundunt. Quòd si illo
æuo iustitia deficiat, in mare aut so-

2 Da partes septẽ, necnon octo: quia ignoras quid futurum sit mali super terram.

3 Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent. Si ceciderit lignum ad Austrũ, aut ad Aquilonem,

litudinem emittunt, ne ab eis homines compendium ferant. Atque vbi à Domino cõstitutum est vt Regem & admissionales illius, imperio abroget: aut ab eodem decreta est futura ybertas aut fames, siue in Austro, siue in Septétrione, aut alio quouis loco qui ei rei dictus est, id consilium * exequetur Dominus, & eueniet. 4 Qui obseruat diuinos & ariolos vix temere hac vita res præclaras aget: & qui à sydéribus sensum aucupatur, non augebit mercedem. Augures enim vento perquàm sanè similes sunt, qui hominis palma concludi non potest: at planetę nubibus cæli cõparantur, quæ semper eunt, neque vnquam redeunt. 5 Sicut non potest tibi omnino esse perspectũ qua tandem via, anima spirabilis & vitæ capax in corpus infantis infunditur, & in fœtũ qui visceribus vtero gerentis matris * continetur: & ignoras planè, donec in lucem edatur, masculúsne sit an fœmina: sic nec iudicare potes opera Domini, quæ omnia summa prudentia perfecit. 6 Ineunte ætate tua vxorẽ duc, vt liberos suscipias: sic enim te natu grandiore illa velut pars tui, finem pariendi non faciet. neque tibi tamen cognitum esse poterit, vnúsne ex eis ad bonum sit electus, sítne hic vel alter, duóue

* Mittetur & eueniet.

* Habitat.

in quocunque loco ceciderit, ibi erit.

4 Qui obseruat ventum, non seminat: & qui cõsyderat nubes, nũquam metet.

5 Quomodò ignoras quæ sit via spiritus, qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis: sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.

6 Mane semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua: quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud: & si vtrunque simul, melius erit.

7 *Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem.*

8 *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum: qui quũ venerint, vanitatis arguentur præterita.*

9 *Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.*

10 *Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua. Adolescentia enim, & voluptas vana sunt:*

ue etiã simul recti futuri sint 7. Et suauis est lux legis & aptissima certè, quę oculis caligantibus lumen afferat, vt aliquando dignitatem vultus Domini tueantur, qui divino quodam splendore iustorum faciem est illustraturus, vt pulchritudine cum sole comparari queant. 8 Si igitur multùm diùque vixerit homo, hoc illum decet maximè, vt se gaudio expleat, & ad legem Domini studium suum conferat, repetátque memoria obscurum illum mortis diem, ne in peccata prolabatur. Multi enim sunt dies quibus mortuus à Domino sententiam passurus, in sepulchro iacet. Suscipiat ergo viuens lubenti animo, si quòd forsan ei vanitatum quas commisit, supplicium accidat. 9 Lætare adolescens tempore iuuentutis tuæ, & in ephebis tuis sis hilarior, & in mansuetudine ingredere semitas animo acceptas tuo: & sis cautior in obiectis oculi tui, neque in malum aduerte. Tibi enim compertum esse potest in omnibus his Dominum tecum iudicio certaturum. 10 Aufer indignationem à corde tuo, neque mali occasionem in corpus tuum induxeris. Iuuentus enim & nigri capillitij tempus, inanitas,

CAP. XII.



1 ET in mentem reduc
Creatorem tuum,vt
illi honorem imper-
tias tenera ætate,
priuſquàm te ante-
uertãt dies peſſimi, & tibi quaſi obre-
pant anni quibus dicas, Iam in illis
nullam voluptatem capio. 2 Et an-
tequàm ſplendor gloriæ vultus tui,
qui ſoli ſimilis eſt,immutetur: & ocu-
lorum tuorum lumen caliget, gena-
rum decor obſcuretur, oculorum pa-
pillæ ſimiles ſanè ſtellis, obuoluantur,
& ſupercilia pluant lachrymas, nu-
bium inſtar poſt imbres. 3 Quum
genua tua mouebuntur, & concu-
tientur lacerti, & dentes oris tui he-
betiores fient,& ad cibum manden-
dum infirmi, & oculi per capitis tui
feneſtras intuentes, obſcurabuntur.
4 Pedes verò tui, ne foras egredia-
ris,vincientur, ciborúmque delectum
negabunt tibi: & ad concentum auis,
quaſi latronum de nocte graſſantium,
à ſomno excitaberis, deficiéntque te
labia tua,ne carmen decantes. 5 Ve-
rùm & eorum quæ iam ab antiquo
facta ſunt, caue ne recorderis: &
quum ingreſſus fueris ſemitas tuas, le-
uiſſimus cumulus, edito propugnacu
lo.

CAP. XII.

*1 MEMEN
to Creato-
ris tui in diebus iu-
uentutis tuæ, ante-
quàm veniat tem-
pus afflictionis tuæ
et appropinquẽt an-
ni, dè quibus dicas,
Non mihi placent:
2 Antequàm te-
nebreſcat ſol, &
lumen, & ſtellæ,
& luna,& reuer-
tantur nubes poſt
pluuiam:
3 Quando commo-
uebuntur cuſtodes
domus, & nutabũt
viri fortiſsimi,&
otioſæ erunt molen-
tes in minuto nume
ro,& tenebreſcẽt
videntes per fora-
mina.
4 Et claudent o-
ſtia in platea, in
humilitate vocis
molentis, & con-
ſurgent ad vocem
volucris,& obſur
deſcent omnes filiæ
carminis.
5 Excelſa quoque
timebunt, & for-
midabunt in via:
florebit amygda-*

lus, impinguabitur locusta, & dißipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum aeternitatis suae, & circuibunt in platea plangentes.

6 Antequàm rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam.

7 Et reuertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.

8 Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas.

9 Cúmque esset sapientißimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarrauit quae fecerat: & inuestigans composuit parabolas multas.

lo similis tibi videbitur, & summum
spinae dorsi tui prae macilentia ex-
tendetur, & turgentibus pedum
tuorum plantis tabernaculo prohi-
beberis. Conuertetur enim ad se-
pulchrum homo, & circuncirca dis-
current Angeli, te ad iudicium re-
petentes, plorantium instar, qui bi-
uia circumeunt, vt sententiae tuae
rationem ineant. 6 Donec lingua
tua loquentem te deficiat, decorq;
capitis tui concidat, & fel iecoris
tui frangatur, & properet cadauer
tuum ad sepulchrum. 7 Et reuer-
tetur caro tua de puluere expres-
sa, in terram, quo habitu quon-
dam fuerat: & spirabilis ille ani-
mus, quem tibi Deus dono dedit,
veniet, vt cum illo, iudicio consi-
stat. 8 Cùm igitur Salomon Rex
Israël, inanitates mundi, in quibus
versantur homines, mirificè esset
edoctus, ait concionans, Vniuer-
sum vanitas. 9 Et facilè omnes
homines dignitate superauit Salo-
mon, sapiens Concionator dictus:
immo & populum Israël sapien-
tiam omnem edocuit: séq; sapien-
tum dicto audientem praebuit, &
prudentiae libros peruestigauit, di-

uinationísque animo à Domino, sapientiæ volumina & satis multas doctrinæ parabolas, in ordinem digessit.
10 Tentauítque sapientia sua Salomon Rex, Ecclesiastes dictus, vel ipsis hominum cogitationibus, remotis testibus, ius dicere. Verùm ei spiritu diuinationis à Domino, verbum iustum & verum prædictum est, quódque à multis seculis in libro legis per manus Mosis legislatoris Israël, exaratum fuerat, ad dictum scilicet duorum vel trium testium, stare debere omne verbum.
11 Verba sapientum aculeis & furcis plantatis comparantur, quæ stimulos vacuis scientia hominibus ad ediscendam sapientiam admouent: non aliter atque bouem stimulus solet excitare. Ita & comparantur stimulis iudices summi quæstionum & sermonum, qui per manus Mosis Prophetæ (qui solus populum Israël Manna & delicatis cibis in deserto pauit) traditi sunt.
12 Iterum igitur atque iterum fili mi, sis alacrior, vt multos libros sapientiæ reponas, & verbis legis operam naues, & ad corpo

10 Quæsiuit verba vtilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos.

11 Verba sapientium, sicut stimuli, et quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum cōcilium data sunt à pastore vno.

12 His amplius fili mi ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis: frequénsque meditatio, carnis afflictio est.

corporis laborem ſis intentior.

13 Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obſerua. hoc eſt enim omnis homo.

13 * Quid multa? Res quæ occul- * Finis.
tè hoc in orbe facta eſt, in propa-
tulum deferetur, ab omnibúſque
audietur: ideo verbum Domini ob-
ſerua & time, eiúſque mandata cu-
ſtodi, ne occultè pecces: ſinuerò
offenderis, ad pœnitentiam redi. Ea
enim debet eſſe omnium via.

14 Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum ſit.

14 Nam ſummi iudicij die omnia
opera proponet Deus, & eorum,
quæ homines fugerunt ſiue
bona ſiue mala, publi-
catio futura
eſt.

FINIS.

הבל הבלים אמר קהלת
הבל הבלים הכל הבל׃

ראשית מכתבך · כי ידוע שיהיה ספרך זה לעזר
ולהועיל לרבים · ולכן אל תמנע טוב מבעליו
בהיות לאל ידך לעשות · ולזה יפוצו מעינותיך
חוצה · ובראש הומיות תקרא · ואם כסילים ישנאו
דעת ולא ישמעו לקולך אל ירע לבבך על זה ·
הלא ידעת כי חכמה ומוסר אוילים בזו ולצים לצון
חמדו להם · אמנם האיש החכם ישמע מאמריך
ויוסיף לקח ונבון תחבולות יקנה · ובזה תמצא חן
ושכל טוב בעיני אלהים ואדם · אשימה קנצי
למלין ואתחנן את יי׳ בעת הזאת שיתן לך כל
משאלות לבך ויתן לי אבר כיונה לעוף
ולשכון בחדריך · ואחלה אדני
שתמיד תהיה נפשו צרורה בצרור
הרעות והאהבה כשנים
קדמוניות ·

נכתבה פה ליאון היום שלשה
לירח טבת שנת שלש
מאות וארבעה עשר
לפרט קטן ·



התרגום לא יתכן אצלם · כי אין בינותם מליץ מתרגם אותו ללשון לא״טין כאשר יש להם בעברי וביו״ני · ולכן בהיותנו יחד כמעט טירדו עינינו דמעה על הצרה הזאת · ולעקור את התואנ׳ הזאת אשר היא כבר תקועה בלבם או אשר יוכלו לבקש אותה הסכמנו וכרתנו ברית׳ להעתיק ולפתור בלשון לא״טין את כל התרגום ככל אשר תמצא ידינו לעשו׳ בכחנו · ואתה בתחל׳ קבלת על עצמך ולקחת לחלקך תרגום קהלת · לפי שהמתרגם הרחיב לשונו בביאור הספר ההוא והעמיק בענינו · ולפי שראית הספר ההוא גדול התועלת להסיר הבלי העולם אשר גדלו ורבו בקרב הארץ · וזה לו ימים בהיותי בחברתך הראיתני את אשר כבר עשית · ואני הזהרתיך להיות חזק ואמיץ ולרדוף אחרי שאר הספרי׳ מהרה · למען תשיגם ותבא עד קצם עם שלא היה צריך לישרך במלמד האזהרה והזריזות או להציב דרבן ההערה להעירך אל המרוצה · כי כבר היית נחפז ללכת כסוס דוהר ומרכבה מרקדה · ולכן אספדה ואיילילה על אשר כתבת שהצורך יכריחך להניח הכל וללכת לארצך ומולדתך · בשמעי את זה נאנח לבבי והיטב חרה לי עד מות · כי יפקד ויעדר ממני פרי חברתך מתוק לחכי מדבש ונופת צופי׳ · כי פרי מגדי׳ הוא · ועוד הוסיף לי יגון כי אולי בעבור הליכתך תשליך מידיך את הלוחות ותשברם אחר אשר כבר חקקת עליהם מכתב אלהים · בי אדוני אל נא תעשה את הדבר הזה · אך השלים כל המלאכה אשר החלות · ותהי משכורתך שלמה · אמנם על העתקת תרגום קהלת אשר כבר ראית קצו הנני משביעך ביי׳ אלהי השמים שתכבד את יי׳ מבכורי ראשית

להלחם במערכת תורת יי' ובמלחמתה· ורגלם תעמוד במישור ובמעגלי יושר ילכו ומהם לא נטו ימין ושמאל למען ישכילו בכל דרכיהם וישיגו ארחות חיים· ומי יתן ויהיו רבים כאלה בימינו שישימו בלבבם כי קנות בינה נבחר מכסף והסתופף בלמוד התורה טוב מדור באהלי רשע החכמות החיצוניות· ואלה האנשים כפי מה שאמרת לי הם אשר יקבלו תועלת גדולה בידיעת הלשון הארמית· אלא שמעטים מהנוצרים ישכילו בה ויתנו לבם ללמדה· ואולי הסבה בזה היא כי יחשבו שהמתרגמים היו עמקי שפה וכבדי לשון ודבריהם אינם נשמעים· אך אין הדבר כן· כי מי שהשתכל בלשון הקדש וידע והבין ענינה קל מהרה ובזמן קצר יקנה לו ידיעת לשון התרגום· ונוכל להביא ראייה על זה ממך· כי אחר שהגדלת העיון בקריאת העשרים וארבעה ספרים ופירושם בלשון הקדש נכנסת בחדרי התרגום ועברת עליו במרוצה ובקלות עד שתמהתי אני ורבים זולתי· ועליך אמרנו ודעת לנבון נקל· כי בימים אחדים הבנת כל התרגומים מעשרים וארבעה הספרים· ומזה נוכל להתבונן שהתרגום אינו קשה להבין למי שקדם ויסד בנין בינתו על אדני לשון הקדש שלא תפולנה אשיותיה כמו שהיא סבת לעשות· ואם כן אין לאומר שיאמר ויתנצל כי בעבור קושי התרגום וכובד לשונו ימנע להשתדל בו· כי בזה תהיה האמת נעדרת מפיהם ונכוחה לא תוכל לבא עדיהם· כי בסכלות התרגום אי אפשר להבין ענין המקרא ולישבו על ביאוריו כמו שבחנת אתה במקומות אין מספר· אולי יאמרו כי אף על פי שיהיה עם לבבם לחקור ולדעת

התרגום



P. ANTESIGNANI AD P. COSTVM EPISTOLA.

יעלה ויבא ליד ידיד נפשי
פיטרוס קוסטוס ·

אגרתך ראיתי וכל דבריה קראתי בעיון והשתכלות ואבין במקראם · והנה מתקו מדבש לפי · מה טובים ומה נעימים היו · כי חי יי׳ תחת לשונם בינה ודעת · אמנם המר לי מאד אשר הבינותי כי יש את נפשך לנסוע וללכת מעמנו תוך ימים מעטים · ולזה התחלתי · ושמתי תאות לבך לזכרון בין עיני · וארשת שפתיך אשר שמעתי ממך בשבתנו אחים גם יחד נתתי אל לבי · באמרך אלי כל היום כי היית יושב משתאה ומשמים על אשר בימים האלה שנפתחו ארובות החכמה ונגלו לשונות לפנים סתומות · עם כל זה מתי מספר ומעטים נמצאים שיקשיבו אזנם ללשון ארמית ויטו לבם לתבונתה עם שיש להפיק ממנה חכמה רמה ותועלת נפלאת · וביחוד לאשר שנאו כל אורח שקר רצוני שגעלה נפשם בחכמות החיצוניות כי הבל הנה ובחרו



PETRVS COSTVS IOANNI COSTO FRATRI S. D.



QVANTVM MEVM studium fuerit vel illustrandæ vel amplificandæ amicitię nostræ, satis ex his literis quas ad te multas dedi potuisti cognoscere. Neq; enim tam fuit aut obscura aut vulgaris in nos voluntas tua, cuius non aliqua in literis nostris significatio desyderaretur. Etsi enim semper statuebam ipse, tam in vtriusq; nostrum animis esse positam & planè defixam amicitiam hanc, vt neque testibus neque tabellis indigeret: tamen non inuitus adducebar vt crederem, à beneuolentia tua non esse alienum, si aliquo nostro testimonio comprobaretur. Estque mihi sanè quàm gratissimum coniunctionem hanc nobis à natura datam, tantopere ornamentis illustrari tuis. Neq; enim grauatè fero tuis officijs magis quàm nostris, nos inter nos coniunctissimos esse. Ac erit, ni fallor, tempus quo tanquàm admotis arbitris, mea in te perspici possit & necessitudinis pietas, & amicitiæ fides: qui dies etsi à me diffisionibus trahitur, nescio tamen qua tandem animi diuinatione permoueor, vt illum aliquando meæ in te beneuolentiæ testem fore non desperem: maiorémque in modum à te con-

tendo, vt tantum iudicij noſtræ voluntati tribuas, tibíque planè in numerato ſit, nulla vel ratione temporum, vel abſentiæ iniuria, me abs te abduci poſſe. Quum autem mihi de diſceſſu tuo noſtrorum literis renuntiatum eſſet, etſi primo nuntio vehementer ſim commotus: vbi tamen me recepi, non potui ſanè non laudare genus inſtituti tui: non tam certè quòd ab eo non longiſſimè abeſſem, & velut in eadem verſarer naui, quàm quòd ea quæ ad animum tuum pertinere exiſtimauero, non poſſunt mihi non vehementer probari. Quia verò ſic noſtræ rationes ferunt, vt me abs te temporum & locorum ſpatijs voluntas ſeiunxerit, ſic tamen habeto tanti à me fieri vſum conſuetudinis victúſque tui, vt cùm deſyderium quod ex ſermonibus noſtris capiebam, moderatè ferre non poſſem, iudicarim ego cupiditati meæ facturum ſatis, ſi abſens tecum loquerer, & quæ nobis in ſermone quotidiano ſolebant vſuuenire, ea ſcripto repræſentarem, hánceque vnicam leuationem animo perturbato concederem.

Cùm autem iiſdem tectis vteremur, memoria tenes non in deambulationibus & ſpatijs tantùm, ſed etiam aliquando inter pocula illa rorantia, graues ſanè locos & à communi vſu abhorrentes tractari à nobis ſolitos: qui à veteribus Philoſophis pertacti, fusè in diuinis literis recentioribus præſertim, explicantur. Quo loco in mentem venit, quantos apud eos ſtrepitus & clamores mouerint, qui ſe in hoc genere aliorum luminibus obſtruere facilè exiſtimabant. In quo ſatis noſtros homines mirari non poſſum, qui ea præcepta quæ & facillima ſunt, & planè ſenſibus populi accommodata, ſola ſunt complexi:

Adumbratio veritati prælata.

quæ

quæ verò perfectum quiddam in animis hominum inurunt, ea ne attigerunt quidem. atque, vt liberè sentiam, si quæ mandata sunt quæ in arcæ dispendium nullo modo pertinent, illis ea sunt in amoribus, illa deosculantur & fouēt: quæ autem ad speciem illam honesti proximè accedunt (quam in Euangelijs expressam animo cernimus, hanc si oculis intueri possemus, mirificum sui, vt ait Plato, desyderium faceret) ea omnino repudiarunt. *Forma honesti.* In quo etsi nos placatos & beneuolos habere debebunt, quòd nullus sit tam Lynceus qui in istis tenebris nihil incurrat: hoc tamen illis sum iratus magis, quòd in isto genere non offendunt solùm, sed hanc suam noxam ponunt benefacti loco: & dum iura omnia & diuina & humana populari iudicio metiūtur, omnéque sapientiæ theatrum à seipsis petunt; ea respuunt, quæ à demagogis & popularibus suis declamatoribus dissimulatione & silentio prætermittuntur. Optima opinor ratione, ne apud eos in quibus alterum Atheniense Prytaneū statuunt, professa palam veritate *Prytaneum.* in odium & suspicionem veniat. Quanquam quo magis dicendi genere apud sapientes & Christianos gratiā ineas, quàm si ea tu in lucem attuleris, in quibus (si negentur verbo) Apostolos ipsos, locupletissimos vindices & auctores laudare possis? Quod sanè Christianis hominibus magis dolendum est, quòd quibus nos Iesus Christus veteribus illis Iudæis præstare voluerit, ea omnino istis præstigijs concidunt & peruertuntur. Quid enim districtus ille viuentis Christi *Verbum Dei.* gladius agebat? (de verbo eius loquor) quæ mens, qui sensus erat animorum suorum? nonne vt veteris legis vmbras, perfecta iustitiæ veritate abstergeret: &

eos qui se ad eius disciplinam contulissent, ad solidæ & minimè adumbratæ virtutis genus traduceret? Quæ cùm non tantùm hominibus leuiter eruditis, sed etiam vulgo peruagata & velut in ore sint, mirari nō desino, quid caussæ est quòd tantopere à sententia Euangelicæ legis alieni simus. Quid enim aut à Christo tam abhorrens, aut à veritate Euangelij tam longè positum esse possit, quàm non tantùm de Christi præscripto discedere, sed ne ea quidem imitando consequi, quæ immanissimus quisque facere non recuset? Nam si testante Deo, publicani & id genus homines, quos ne simulachra quidem virtutis appellare queas, ad bene merendum de agnatis & coniunctis naturę propensitate impelluntur, quæ pœna Christiano homini constitui potest; qui ne apud suos, nisi summis vsurarum aut eius quod interest additamentis, in creditum eat? Quo in genere tam certè offendunt homines nostri quàm qui maximè: idque opinor confidentius, quòd quę in Euangelio de beneficijs collocandis, hospitalitate nos inter nos retinenda, & officijs vltrò citróque conferendis fusius recitantur, ea consilio & voluntate, non autem pręscripto metiuntur. A quibus si de dignitate & honesto sermo fiat, non tantùm Euangelicæ veritatis, sed & philosophiæ veteris præsidium deseritur. Qui quòd temporum vitia sibi quibuscunque modis tuenda esse iudicauerunt, nouum quoddam virtutis & perfecti genus ad vitam & hominum mores videntur attulisse: in quo si se mirificè exerceant, præclarissimè secum agi opinantur. Cui enim illorum non amplissimum virtutis testimonium redditur, si à bene agendo & rectefactis cogitatione remotissimus, id tantum oneris sibi imposuerit, vt

Publicani. *Christiani.* *Nouum genus perfecti.*

vt manus & oculos ab iniuria cõtinentes habeat? Quẽ non quaſi ſingulari virtute præſtantem in cælum efferent laudibus, ſi modò de nullo malè mereatur? Quiddam profectò magnificentius & vberius fides noſtra poſtulat, in cuius honeſtate ne ille quidem videbitur conſtitiſſe qui alteri non nocuerit, niſi etiam ita ſit animo affectus, vt in eo officijs omnibus & pietate retinendo decumbat totus, ſtatuátque nihil eſſe in quo magis Chriſtiani hominis ſplendor eluceat, quàm ſi plurimos obſequijs & liberalitate ſibi adiungat. Sed ignorant homines quàm magnum ſit vectigal hoſpitalitas: neque probè animo cernunt ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός, vt ait antiquus ille Poëta. Tu cùm Chriſtiani hominis inſtitutum ab agendo ſemoueas, & in ſtudio rei familiaris immori velis, neque quicquam eorum quibus maximè vitæ honeſtas continetur, ad te putes pertinere, vllúmne tibi inter Chriſtianos locum reliquendum eſſe exiſtimem? Quid ſi ne à Stoicis quidem in porticu deambulandi poteſtas fiat? Quid ſi in Cynoſarge vel Lyceo eſſe tibi per Philoſophos non liceat? apud quos ſapiens habitus eſt nemo, niſi cum vitiorum fuga virtutis actiones coniungeret. Itaque bellè ſapientiſſimi homines duo iniuſtitiæ genera poſuerunt, vt non tantùm eum qui alteri noceat de iniuſtitia appellarent, ſed qui nulli prodeſſet, is in eiuſdem criminis inuidiam illis vocaretur. Iam igitur apud nos omni pietate & iuſtitia excellentes eſſe perhibentur, non qui in beneficijs in proximos collocandis perquàm faciles ſunt, tales enim ætas noſtra non vidit: ſed qui de ſeipſis largiter merentur, etiam ad

Benè agendi, & à malo declinandi alterna ſocietas.

Hoſpitalitas.

Heſiodus.

Porticus.

Cynoſarges.

Lyceum.

Duo genera iniuſtitiæ Philoſophis.

hanc charitatis gloriam pertinere se omnino asseuerant. Nam, vt illi inquiunt, bene constituta charitas à seipsa initium habet. Qui si mihi stomachum mouerint, etiam belluas & feras ne huius quidem laudis expertes esse prædicabo. Vt perquàm difficilè dictu sit, an cum bestijs simili pietate sint comparandi: nisi quòd hac in re forsan belluis multo superiores sint, cùm illæ ad id quod adest quódque præsens est moueantur solùm, parúmque sentiant præteritum & futurum. At in in istis hominibus incredibilis quædam est futurorum præsensio, tantáque habendi cupiditas, vt nisi bene ac feliciter rem fecerint, plurimùm de dignitate sua & nomine decedere existiment. Itaque etsi proximè aliquis nostrûm veteris legis Nazaræos imitetur, sítque in sacris audiendis & assiduus & multus, aliquando ieiunet, hócque encomio dignus putetur, vt in eo cupiditates omnes deferbuisse videantur: nisi tamen pietatem colat, & beneficiorum magnitudine apud multos gratiam ineat, pauperibus adiumenta rerum concedat lubens, & quo quique opis maximè indigeant, eis plurimum liberalitatis conferat, ne is certè minimam Christiani hominis laudem videatur esse consecutus. Nam priora illa quanuis non omnino contemnenda, nobis tamen cum cæteris sunt communia. At pietate & iustitia præstare tam Christianum est, vt illis sublatis non habeat fides nostra in quo possit consistere. Quæ si cogitatione attigissent ij, qui se Euangelicis actionibus & omni virtute excellentes putant, plus forsitan studij & operæ in eo genere posuissent, sine quo Christianus esse que-

Charitas à seipso incipit vulgo creditur.

Nazaræi.

Officia hominis Christiani.

at

at nemo. Quid, qui sine diuitijs nullam vitam esse ducunt, & à paupertate tanquam à teterrima bellua alieni sunt, hos Christianos possis agnoscere? Quam si tantopere in seipsis fugiunt, vt hanc alijs pro nefario scelere ponendam esse existiment, quid erit in quo Euangelij splendor retineri possit? Nam si aliquis ea quæ cæteri admirantur, expetenda non ducat, & rei tenuitate delectetur, huic certè homini pauci admodũ Deos propitios, nostri iratos putabunt: támque miseram & depressam virtutem sermonibus describunt suis, vt insignia veræ laudis & gloriæ potius in amplificatione patrimonij, quàm in præstantissima illa honesti specie sita esse arbitrentur. Si enim ab aliquo in re sua familiari iactura facta est, si qua in bonis illis externis accepta plaga, is omnium sermonibus perfertur reus, illique à Domino iusta alicuius sceleris pœna constituta esse prædicatur. Populares homines, veréque terræ filij, qui ex ijs rebus quas nemo sapiens vnquam expetendas duxit, virtutis & vitij iudicium ferunt. Damnanda profectò arrogantia, quiddam malum & fugiendum iudicare, de quo, vt virtutis esset loco, à Iesu Christo rogatio facta est: Beati, inquit, qui esuritis. Item posteà, Beati eritis quum vos oderint homines. In quibus à nostris nefarij cuiusdã criminis argumentum statuitur, quasi Deus optimus maximus hac vita beneficẽtiæ & liberalitatis mercedẽ hominibus concluserit. Ac mea quidẽ sentẽtia sic se res habet, vt ad prosperam aduersámque fortunã qualis sis, aut quemadmodum vixeris nihil intersit. Vt enim eum cuius res secũdę sunt, non continuò Deo acceptum esse crediderim, ita & illum cuius in modico fortuna angusta est, vt cõdamnem adducar nunquã. Quid enim

Virtus, vitij loco.

Prospera aut aduersa fortuna nihil ad mores.

quæſo ad probitatis aut malè actæ vitæ conſcientiam pertinere poteſt facultatum diſceptatio? quæ tam certè fortuitæ & corporatæ ſunt, vt illis cum animo non poſſit eſſe ſocietas. Itaque ineptè & parùm philoſophicè Diogenes Cynicus dicere ſolebat, Harpalum, qui temporibus illis felix prædo habebatur, teſtimonium ferre contra Deos, qui in proſpera fortuna tandiu viueret. Quòd ſi vetera exēpla diſpicimus, quàm multos reperias qui omni crudelitate & flagitijs impuri feliciter imperarunt. Nam & Dionyſius Syracuſanus duo de xl. annos florentem opibus ciuitatem tenuit: de quo tamen plurimæ conſentiunt gentes, ſpurcum & ſceleſtum ducem fuiſſe. Omniúmq; longè crudeliſſimus Cinna Romæ diu Dictaturam geſſit. Et ex Iudæorum quidem hiſtorijs Herodes parricidio vxoris & filiorum trium, cæterorúmq; omnium facinorum macula infamis, cùm veterum Iudæorum armis florentiſſimam rempublicam à Populo Romano accepiſſet, primus exterus eam rexit, & ſumma cum gloria ad extremam ſenectutem imperauit. Hos igitur in tantis vitæ ſordibus, nemo Deo gratos eſſe iudicauit, quòd illis tanto tempore in omnibus rebus fortuna reſpondiſſet. Qui autem ea quæ ab omnibus expetuntur bonorum ſubſidia negligunt, aut etiam ſi quid non modò aduerſi ſed planè euerſi acciderit moderatè ferunt: hi certè quanquam noſtris deſipere videantur, ne mihi tamen procul ab Euangelij laude abfuerint. Nam ſi Ieſum Chriſtum, qui ita apud Matthæum loquens inducitur, audire placet, Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis: Item, Nolite ſoliciti eſſe dicentes, Quid manducabimus aut bibemus, aut quo operiemur? quid tandem afferunt homines

Diogenes. Harpalus.

Dionyſius.

Cinna. Herodes.

Non curandum de craſtino.

mines noſtri, cur non eos mirabiliter laudandos exiſtimare debeant, apud quos incredibilis illa habendi deſedit cura? Quid porro illis in mentem venit, cur non eos grauiter arguendos eſſe cenſeant qui meliores horas ſuas, omnia denique ſtudia ad diuitiarum cupiditatem contulerunt? Iſtis etſi fortaſſe nulla peccati labes inuri poſſit, magnopere tamen ſit vitio vertendũ, quòd illud legis Chriſtianæ capitulum (in quo totius Euangelij ſcopus eſt) pro derelicto habeant: neque ſolùm hoc ſibi condonatum volunt, ſed etiam filios ſuos cæteróſque qui ad eorum tutelam & clientelam pertinent, in eandem delicti ſocietatem vocant, vt ſimili opum quærendarum cupiditate alacrius incitentur, neque vllum de diuitijs cogitandi tempus intermittant. Quibus ſi ea quæ in Euangelijs fuſius hanc in partem de ſcripto recitantur, protuleris, ſtatim conſilium eſſe, non autem præſcripti neceſſitatem audies. Quòd ſi arctius vrgeas, neque pedem referre velis, iiſdem verbis vſos eſſe eos prædicabunt, qui de hæreſi inter reos memoria noſtra relati, maximis ſupplicijs vitam finierunt. Quis enim, inquiunt, niſi de fide malè ſentiens, diuitias refutandas cenſet, quas ſequitur optimus quiſque, & reliquis omnibus rebus anteponit? quibus quærendis non inſeruire ius gentium violantis eſt, & quodammodo naturæ ipſi cum Gigantibus pugnantis. Neſciunt homines egregiè cordati, ea Chriſtum in ſequacibus ſuis expetiſſe, quæ extra hominis facultatem ſita eſſe arbitrantur omnes. Nam vt ille idem teſtatur, Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum. Quæ cùm ſint apertiſſima, ſi quis ex noſtris ea ægrè in

Pietas patrũ in filios.

Impoſſibilia hominibus, Deus facilia indicat.

animum inducit, hunc non modò ethnicum post Christum, Talia enim (inquit ille) gentes inquirunt, sed hæreticum & blasphemum esse prædicabo.

Ac fuit tempus illud quum grauiorum studiorum tempestate iactatus, ad sacrarum literarum otium, tanquam in portum confugissem, incidi in Salomonis Regis Ecclesiaste. Quem ego quum Hebraicè percurrissem, nescio quos in me amores citauit sui (credo equidem quòd à diuinis Euangelij nostri sententijs non multùm discreparet) vt etiam incredibile planè desyderium iniecerit, exemplar aliud longè vberius Caldæo sermone conscriptum perlegẽdi. In quo varia fortuna versatus probè iudicare non poteram, videretúrne Caldæus ille paraphrastes aliquid dignitatis & lucis Archetypis ipsis attulisse. cùm tamen peruiderem multos Hebræorum codices apud Græcos & Latinos in fidem & societatem esse receptos, Caldæum autem in Latinam linguam versum planè nullum, existimaui non ingratam multis rem facturum, si eniterer ipse vt aliquando Caldæos Latinè loquentes audiremus. Cúmque Caldæus ille Ecclesiastes perpetuo orationis cursu ab Hebræo disiunctissimus, dicendi genere ferretur, & quæ à Salomone velut in pugnum erant contracta, mánu explicata nescio an feliciter ampliasset, visus sum mihi operæpretium facere si Caldæus liber authoribus nobis ad præsidium Latinæ linguæ confugeret, & à nobis Latinitate donaretur. Neque me tam linguæ nouitas mouit, quàm quòd eum librum in manus sumpseram, qui ita Euangelio nostro consentiret, vt eorum magnopere esset refertissimus, quæ Christ

Ecclesiastis & Euangelii consensus.

Christianis semper in ore esse debent. Quantum autem authoritatis & dignitatis habeant literæ Caldææ, veterum Iudæorum satis testantur lucubrationes: apud quos ingens ille Bibliorum liber etiam in Caldæum transcriptus est: tantáque & religione & fide vtranque linguam adamarunt, vt illas mutuo & perpetuo consensu colligarint: neque quenquam in Hebræis sapere iudicarint, qui non idem & Caldæa delibasset. Atque eam fuisse affinitatis causam coniectura ducimur, quòd à Babylonijs capta & direpta Hierusalem, multis fusis & fugatis, qui deditionem fecerant, in colonias Babyloniorum captiui sunt deducti: vbi quum temporis diuturnitas auitos illorum mores commutasset, facilè patriam linguam dedidicerunt. Veriti verò seniores, ne linguæ ignorantia, etiam legis obliuionem pareret, legem ipsam & Prophetas ferè omnes in Caldæum transtulerunt: qui sermo illis consuetudine & vsu eorum quibuscum viuebant, erat familiarior & notior. Hunc occasione à patribus acceptum tam religiosè posteri coluerunt, vt ad hæc vsque tempora ad Iudæorum animos opinio peruagata sit, Caldæas illas paraphrases sententijs plerunque à typo differentes, diuino quodam spiritu conscriptas esse. In quo doctorum sit iudicium & existimatio. Ego verò (nisi me rei grauitas à iudicando dimouere debet) facilè adducor vt existimem, nihil esse in quo illæ tanta religione, dignitate & fide à nobis accipi debeant. Quid enim tam magnificum aut reconditum, quid hominis Christiani expectatione in eis dignum iudicemus, quarum nonnullas post mortem

Lingua Caldææ authoritas.

Christi à Iudæis fidei nostræ inimicissimis conscriptas memoriæ proditum est? Sed tamen ne semper authores ipsos meditemur, satis libri illi rei subiectæ dignitate seipsos tutantur & defendunt. Quid enim aliud agunt, quàm Hebræi contextus veritatem iisdem aut vberioribus verbis ad Caldæum dicendi genus traducere? Accedit quòd æterna quædam est, vt dixi, vtriusque linguæ societas, & tanta sanè, vt nullus nisi illotis manibus in Hebræis versari possit, nisi ad illam gloriam, laudem Caldææ sapientiæ adiecerit. Nam & vasta illa Talmudæorum compages, & magistrorum commentaria, tam multa à Caldæis mutuarunt, vt potius Babylonijs quàm Hebræis scripta esse videantur. Mihi quidem etsi multis nominibus vtraque lingua comméndetur, hoc tamen est in delicijs magis, quòd ab illis populis omnes artes & disciplinas in nos manasse memoriæ proditum accepimus. Nam, vt Cicero author est, primi Assyrij propter planitiem & magnitudinem regionum, quas incolebant, cùm cælum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, traiectiones motúsque stellarum obseruauerunt. Qua in natione Caldæi, non ex artis sed gentis vocabulo nominati, diuturna syderum obseruatione scientiam putantur effecisse, vt prædici posset quid cuique est euenturum, & quo quisque fato natus esset: qua sapientia tantum sibi authoritatis apud reliquos populos pepererunt, vt ab eis dies peterentur: quasi ab ipsa Natura diuinandi scientiam & rerum futurarum præsentiones accepisse, aut cum lacte nutricis suxisse viderentur. Verùm & Theophrastus & Porphyrius præstantes sapientia viri Iudæos natura esse

Caldææ & Hebrææ ling. societas.

Talmud.

Caldæi diuinandi peritissimi.

Phi

losophos existimarũt:& Pythagoricus Numenius tradidit, nihil esse aliud Platonem, quàm Mosem Attica lingua disputantem. Quæ etsi à nobis fusius explicantur, eo tamen pertinent, ne quis Hebræorum & Caldæorum volumina, tanquam subdititios partus, de familia & gentilitate omnino dimittenda esse opinetur. Quam sententiam pueris nobis, memoria tenes vel eorum animis insedisse, qui quasi sedentes in puppi soli de cælo seruabant, & tempestatum locorúmque rationem longè præsentiebant. Deridenda tamen hominum amentia tantùm sanè laudantium, quantùm se posse sperant imitari. Verè enim si volumus iudicare, quid aliud spectabant ridiculi illorum conatûs, quàm vt soli sapientiæ antistites haberentur: veriti opinor ne si tanta illa literarum monumenta in vulgus exirent, existeret aliquis Flauius Scriba qui cornicum oculos configeret, & ab eis incautis prudentiam omnem compilaret. Quorum opinio cùm non satis probaretur mihi, non contendi solùm, vt ego aliqua linguæ illius cognitione procederem, sed id egi maximè, vt eorum studia licet mediocriter adiuuarem, qui se in gratiam linguæ recipi non recusarent. Etsi verò libellus iste, quem ex Caldæo versum in tuo nomine apparere facimus, plurimùm tibi abesse videbitur à dignitate Græci aut Latini sermonis: nullúmque sequi orationis florem: sic tamen statuas velim, eum grauitate & pondere sententiarum refertissimum, & perfecti cuiusdam adumbratione maiestatem Euangelicæ nostræ disciplinæ proximè contingere, planéque philosophicam illam seueritatem complecti. Quid enim in diui-

Iudæi naturæ Philosophi.

Plato, Moses Atticus.

Flauius Scriba.

nis pertractandis, aut potius transferendis affert vberius, aut tam admirabile lenis ille & æquabilis orationis tractus, aut impetus quidem dicendi incitatior, si modò sententiarum splendor retineatur? Quia tamen, si te à contextu non dimoueas, videatur potius cum Epicureis & Cyrenaicis patrocinium voluptatis suscipere, quàm cum Zenonijs & Stoicis se ad virtutis actiones conferre, quæ ad benè & beatè viuendum seipsa contenta est: paucis explicabo nostram de ea quæstione sententiam, & quasi rutis cæsis receptis, tibi tamen amantissimo mei relinquam, quæ forsan aptè & loco posita esse videantur.

Ac fuit de bonorum & malorum fine varia inter Philosophos disputatio: atque haud scio an vnquam ætate illa inter doctos constiterit. Vt verò à capite arcessamus, primus Socrates à rebus occultis, (vt ait Cicero) & ab ipsa natura inuolutis, Philosophiam auocasse & ad hominum mores adduxisse fertur: cúmque tot esset artis & doctrinæ præsidijs à natura instructus, vt nihil in quæstionem cadere posset, quod à quotidianis disputationibus suis excluderet: cúmque ea esset in dicendo facultate, vt non modò de multis rebus disputaret, sed etiam rem eandem (vt sæpissimè alius dies alios mores expostulat) alijs atque alijs modis tractaret, facilè ex eius schola proseminatæ sunt dissentientes Philosophorum familiæ: & quod quisque in eius sermonibus adamarat, id certè animo est complexus, séque in eo maximè exercuit. Vnúsque Aristippus (à quo Cyrenaici, & qui posteà dicti sunt Epicurei) cùm iucunditatem & sales in Socratis colloquijs permagni æsti-

Socrates.

Aristippus. Cyrenaici. Epicurei.

æstimasset, nouum quendam voluptatis & deliciarum ludum aperuit, solúmque & summum bonum ad sensum & appetitum reuocauit. Cui quum vel ipsa natura à labore in libidinem propensior, multos sequaces & velut patronos conciliasset, facilè hæc res vniuersum orbem non fama solùm sed plausu peragrauit. Primùm enim acerrimum sui defensorem & vindicem Epicurum nacta, ad posteros dimanauit. Quanquam quid est quòd Epicuri voluptas, virtuti coniuncta iudicari non debeat, qui potius animi quàm corporis voluptatem non præceptis tantùm, sed moribus & vitæ genere videtur esse complexus? Vt enim apud Laertium legimus cum demum boni finem esse dicebat, rectùm quietúmque animi statum, quam εὐθυμίαν vocauit, eadem illi εὐεστὼ nuncupatur, quam & tranquillitatem & optimam animi cõstitutionem appellemus licet. Quî enim non tam ad belluarum titillationem quàm ad mentis leuationem seipsum retulisse non existimetur, qui à sensibus propemodum suauitatem excludat, vino abstineat, & solis oleribus duriter vitam suã tueatur? Itaque cum eo nulla nobis erit disputatio. Etsi Stoici ipsi voluptatis nomine opinor infestiores, eum in suis sermonibus malè accipiant. Ad Cyrenaicos autem & Corinthus ille hæreticus pertinet: qui cùm offendisset Euangelica præcepta mirè cum voluptate pugnantia, moderatione quadam adhibita, res natura sibi discrepantes ad consensum reuocauit, & hominis Christiani felicitatem sola voluptate statuit. Quæ hæresis cùm multis placuisset, etiam ab ipso Mehemete adamata est. Hic cùm in rudem & efferum Agarenorũ populũ fortuna

Epicurus. εὐθυμία. εὐεστὼ Corinthus hæreticus. Mehemetus. Agareni.

incidisset, nulla alia religionis forma illorum animos sibi magis deuinci & obstringi posse existimauit, quàm si eam legem & rogationem ferret, quæ sensibus hominũ consentiens seipsam voluptatis præsidio tueretur: tantúmque amentia processit, vt nulla sit tam nefanda & turpis voluptas, cuius non aliqua sit in illius lege adumbratio. Itaque non est mirum, si in eas blanditias à multis nationibus concursum est. Verùm & hos relinquamus quibus nullum est cum virtute commercium. Ex eodem fonte nempe Socrate, deriuati sunt qui se Stoicos nominarunt. Hi cùm seueritatem in præceptore & seniles mores impendiò probassent, nouum quoddam viuendi genus animo arripuerunt, & felicitatem sola virtute statuerunt. Noua certè res & ab omnium opinione abhorrens: quasi homo duabus partibus animo scilicet; & corpore non contineretur. Quid enim aut tam neotericum, aut à sensibus hominum tam alienum esse potest, quàm in diuitijs paupertatem summam, in extrema inopia opes collocare? Quis vnquam gentiles & eos quorum maiorum nemo seruitutem seruiuit, mancipia & quasi venales Sardos, & è diuerso seruos, liberos existimauit? Quis dolorem in bonis, diuitias in malis habuit? Quis nostrorum hominum peccata ęqualia esse iudicauit? Quę etsi portenta quædã videantur esse, si quis tamen penitius intueri velit, nihil esse quod ad sententiam Euangelij propius accedat, facilè reperiet. Primùm enim in libris Euangelicis id efficitur maximè, vt ex hominum mentibus illa penitus euellatur opinio, quę in omnibus naturam ipsam tanquam optimam viuendi ducem, sequendam esse censuit. Etsi enim summam conseruandæ hominum perpetuitatis rationem arbitr.

Stoici.

Consensus Stoicorum cũ Euangelio.

arbitrata est ipsa natura, si omnes cõmodis gauderent, & ab incommodis abstinerent, quòd illis amorem sui indidisset, hoc est (vt ait Cicero) appetitum boni & fugam mali : quid tamen in libris Euangelicis aliud agi videmus, quàm vt illa naturæ primogenia (vt loquitur Taurus Philosophus apud Gellium) ex hominum mentibus penitus euellantur? Qui enim (vt ait diuinus noster Legislator) amat animam suam perdet eam. Iubet igitur nos in adeundis periculis fortes & alacres esse. subdit prætereà, Beati eritis quum vos oderint homines, & cætera. Quid? qui in summa paupertate & rationibus afflictis felices prædicat, qui ærumnis & doloribus confectos beatos censet, nunquid maius quoddam quàm ab ipsa natura quæsijsse præsidium existimari possit? Quo in genere mirum quantus sit Stoicis cum Christianis cõsensus. Etsi autem Stoici in optimis actionibus naturam ducem & quasi signiferam statuerint: ex reliquo tamen omni eorum sermone facilè coniectura ducimur, de ea natura verba fecisse, quæ propriam sibi & quasi insitam virtutem habet: à qua nondum paruuli illi ad honestum igniculi excesserint, habeátque adhuc ipsa secum ea dignitatis seminaria, quæ si adolescere sinerentur, ipsa sanè homines ad beatam vitam possent perducere. Vnde & verè monet ille, iustos nos à natura esse factos: quasi ab ea tantum in homines dignitatis sit inuectum, vt ius vniuersum æqui & boni quasi excisum in animis hominum reperire possis. Quòd si de ea natura loquimur (corruptã consuetudinem rectius appelles) quæ vel teste Dauide deprauata opinionibus propensitate in malum fertur, non

Primogenia naturæ.

est certè quòd in veri perspicientia nos ad eam referamus. Iam verò si de præpositis (vt ipsi dicunt) hoc est, corporis & fortunæ bonis quærimus, quid est in Euangelijs tam magnificum támque cum animi magnitudine coniunctum, quod illi scriptis & disputationibus suis non adumbrarint? Viro forti & sapienti, inquiunt, opes omnino contemnendæ. id qua societate ad Euangelica mandata pertineat nescit nullus. Simile est (dicebat Seruator noster) regnum cælorum homini mercatori, qui cùm ad emendas margaritas peregrè esset profectus, inuenta vna, omnia sua vẽdidit, vt illam compararet. Potuítne & illustrius & clarius in oculis omnium ponere, non tantùm homini Christiano & sapienti contemnendas diuitias, sed penitus tanquam malum quoddam abijciendas esse? Quid enim est tam pusilli támque angusti animi, quàm amare diuitias? Sed ne rebus tam apertis faces verborum admouere videamur, nunquid in hac quæstione Dominus noster diffusè satis mentem suam posteris tradidisse visus est, quum ei qui se vel minutissima legis obseruasse prædicabat, dixit, Vnum tibi reliquum est, vende omnia quæ habes & sequere me. Atque eam fuisse causam suspicari possumus, quòd in eadem legis societate, tanquam in equo Troiano Iudæi cum principibus Apostolis includi tantopere recusarint. Cùm enim in lege Mosaica diuitiæ locupletissimis testimonijs comprobarentur, neque aliud Moses ijs qui legis terminos non transilijssent promittere videretur, quàm quoddã velut cornu copiæ, fœcunditatem liberorum & tranquillitatem domi, foris autem vbertatem: non poterant

Præposita.

Diuitiæ contemnendæ.

Cur Iudæi non se ad Christum contulerunt.

rant sanè in eam legem pedibus ire, quæ naturæ consentanea, & velut in sensibus posita cũ aërijs & planè diuinis cõmutaret. Quòd si creator noster Iesus Christus personam Cyri Regis Persarum, aut Alexãdri Magni induẽs, rerum gestarum magnitudine orbem terrarum impleuisset, credendũ est Iudæos, qui nihil melius, nihil expetendum magis imperijs & populari gloria iudicauerunt, facilè ad eum discessionem facturos fuisse. Ex quibus efficitur virtutem ipsam non Stoicis tantùm, sed Christianis in summo bono esse. Diuitias autem minimè expetendas, planéque sapienti homini fugiendas. In quo etsi Stoicis maximè gratuler, qui nobis in hoc genere de omni officio præierunt, dolẽdum est tamen Ethnicos homines dignitate & studijs virtutis, Christianis prçluxisse. Citentur ergo septẽ sapientes præclarissimæ virtutis omnis & continentiæ testes. Allegetur Crates Thebanus, alijque innumerabiles, qui opes suas non tantùm fortiter contempserunt, sed à se omnino repudiarunt: iudicantes hominem qui vel punctum temporis his retineretur, illi nullum esse cum virtute commercium. Quòd si veteres illi tantùm sapientia præstiterunt, vt studia virtutis vel ab ipsa natura, vel magistrorum disputationibus accepta, sola sunt amplexi: quid nos tandem facere oportebit, qui à Deo optimo maximo latam legem & à maioribus nobis traditam fouemus & defendimus? Quid si in diuitiarum despectu & rerũ mundarum cõtemptione, perpetuus sit Euangelij cursus? Sed tamen quid facias hominibus ijs, qui id beneficium naturæ inuiderunt suæ, vt non tantùm ad opes & dignitatum ambitum omnia referant, sed eos

Iustus dolor.

Septẽ sapientes.

Crates.

insanos & dementes prædicent, qui animum suum ab honoribus & diuitijs, ad virtutis studia reuocare volunt: iam enim eos peruasit opinio, vt omne tempus perire existiment, quod non lucro impendatur. Qui eò forsan iniquiorem me habere debebunt iudicem, quòd in eam partem à nostratibus magnopere peccatur: à quibus nihil probatur nisi, quod cum quęstu coniunctum est. Quibus eò minus ignoscendum esse arbitror, quòd in tanto virtutis & disciplinarum omnium gymnasio, species illa honesti non possit nō omnibus esse perspecta. Sed tamen nescio quod vitæ genus effinxerunt sibi, vt ea sola potiora habeant, per quæ ad rei familiaris incrementa aditus esse solet. Quibus autem forenses illæ, & comitiorum prensatorúmque molestiæ stomachum faciunt, ij rerum omnium & scientiarū ignari iudicantur. Quantas igitur tragœdias istos homines excitaturos censes, si illud Lucæ apud eos proferas, Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ habet, non potest esse discipulus meus. Humanius certè tecum ageretur, si aut de legibus agrarijs populare decretum feras, aut tribunitia intercessione authoritatem senatus velis minuere. Habeant ergo in manibus Esaiam suum, Audite (inquit) verbum Domini principes Sodomorum, & attendite ad legem Dei nostri populus Amorrhæ. Et rursus paulò post, Væ qui domum ad domum adiungitis, & agrum agro copulatis vsque in finem loci, vt soli tandem in vmbilico terræ habitetis. Sed tamen ne semper excellens & perfectum quiddam meditemur, nónne viro politico & liberaliter educato id primùm enitendum esse Philosophi voluerunt, ne qua

Nihil pulchrum, nisi quæstuosum.

Lucas.

Esaias.

eum

eum premat suspicio auaritiæ. Nihil est enim tam fortis támque magni animi, quàm contemnere diuitias si non habeas, sin verò habeas ad liberalitatem conferre. Quis igitur erit apud eos pietati, quis religioni, quis iustitiæ locus, qui ita ad diuitiarum Sirenes constiterunt, vt omnia iura diuina & humana illarum illecebris deliniti, voluntaria obliuione contriuerint? Quid verò est tam flexibile támque tenerum, quódque quocunque ducas propensius sequatur, quàm hominis animus cupiditate pecuniarum incensus? Scitè igitur & perquàm graphicè auaritia à Paulo omnium malorum radix appellata est. Ea enim innata nobiscum naturæ seminaria restinguit, ea malis venenis imbuta corpus animúmque virilem effœminat, & nullum habet cum virtute commercium. Hæc est quæ veritatem in Heracliti puteum præcipitem egit: hæc Astræam illam deam mortalibus libellum repudij mittere, & in cælum euolare compulit: hæc iudicibus (quos aptè δωροφάγυς Hesiodus vocat) oculos & manus restituit, atque vt breui dicam, hæc omnino Christianæ Ecclesiæ statum labefactauit. Prodigiosa certè res, atque ab omnium sensibus remotissima. Quis enim vnquam in animum inducet suum, Ecclesiam à Christo diuitiarum osore acerrimo extructam, & maximo velut paupertatis diplomate obsignatam, tanta sui dissimilitudine ad posteros dimanasse, vt tanquam aliquo Circæo poculo ex depressa & humili, elata: ex parca & frugi, planè regio luxu diffluens: ex inope, diues sit facta? Quis erit tanta animi facilitate, cui hæc facta non ficta videantur esse? Ac si volumus vetera memoria re-

Auaritia. *Heraclitus.* *Astræa.* *Hesiodus.*

petere, reperiemus eos qui ab ipſis naſcentis Eccleſiæ principijs ad Conſtantinum Imperatorem fuerunt, haud ſanè magna in re, ſed tamen fidei & conſtantiæ plenos fuiſſe: à quibus omnis pro religione Chriſti dimicatio eſt ſuſcepta. Cùm verò diuitiæ in Eccleſiam inuectæ ſunt, cœpítque Clerus in conſuetudinem aut Aſiaticæ, aut Aphricanæ licentiæ venire, neſcio quæ religionem, animi magnitudinem, hoſpitalitatem, cæteras denique virtutes ſubito tempeſtatis turbine, noua quaſi procella peruertit. Videmus ergo omnes qui à diuo Petro vſque ad Syluestrum Pontifes fuerunt, conſtantiſſimè & fortiſſimè pro fide dimicaſſe, ídque egiſſe maximè, vt quaſi corporibus ſuis, exteris ritibus & Ethnicorum cultui aditum intercluderent, præclariſſimúmque poſteris monumentum relinquerent, abſcindendæ de Republica falſæ religionis. Quum verò rerum copia Chriſtiana ciuitate donata eſt, repente auaritia totum orbem peruaſit, cœpítque ipſe maiorum decor collabaſcere: cupiditas autem nomini Chriſtiano ſanè quàm infeſtiſſima ſic peruicit, vt veterem illam pulchritudinem deturparet, & antiquam formam notis quaſi Treijcijs diſpungeret: vt iam difficile factu ſit priſtinæ Eccleſiæ dignitatem agnoſcere. Ac ſi quis nos in ea opinione eſſe exiſtimet, quæ omnino imperia, iuris dicendi poteſtatem, principatus & diuitias tanquam perniciosum quoddam venenum de Eccleſia decidere conata eſt, errore labitur ſanè. Quid enim magis ad Eccleſiæ amplitudinem pertinere poteſt, quàm ijs ipſis abundare, quibus ad hoſpitalitatem & liberalitatem aditus eſſe ſolet? in quibus apud homines virtutis

Conſtantinus Imperator.

D. Petrus.
Syluester.

tutis splendor inest maximus. Quis est tam expers humanitatis, qui pietatem erga homines (qua potissimùm fides nostra continetur) ab Ecclesia amputare velit? Nulla certè re propiùs ad Deum accedimus, quàm statutas expensas pauperibus dando : quarum rerum vel laus præstantior esset euulsa ex memoria vitáque nostra, si opes suas laici principes tanquam postliminio ab Ecclesia recipere sinerentur. Quapropter in Canonibus bene & ex ordine constitutum est (si qui tamen hodie Canones sunt) vt Episcoporum & præfectorum Ecclesiæ bona quadruplici iure censerentur: vna scilicet pars illis ad tuendam rem suam domesticam adiudicaretur : altera in fiscum Ecclesiæ, quam fabricam vocant , committeretur: tertia ad pauperes veniret : quarta Clericis relinqueretur. Hoc tamen familiæ herciscundæ iudicium, publicum silentium refutauit. Quanto verò Christianorum malo ignorat nullus. Verùm nunquid ea quæ in luce fori est Ioannis xxij. constitutio, hæreticos patriǽque hostes iudicauit eos, qui Seruatorem nostrum & Apostolos nihil habuisse dicerent, quíque Ecclesiæ amplissimas opes inuiderent. A quorum sententia longissimè absum. Neque verò satis mirari possum Bartolos, Baldos, Panormitanos & id genus homines, qui de Constantini donatione tam multa posteris reliquerunt. Quid enim opus fuit in re tam aperta quasi inter sobrios debacchari? Etsi enim donatio illa minimè iure subsistat : satis tamen iuris & præsidij Romanis Pontificibus diuturnitas temporis conciliauit. Nam si volumus initia regnorum memoria repetere, quod tu ex tam multis, longioribus tem-

Bonorum Ecclesiæ diuisio.

Ioannes xxij. Papa.

Donatio Constantini.

porum ſpatijs confirmatum reperias? Si enim domeſtica exempla quærimus, ſciunt illi qui in annalibus
Reges Galliæ. noſtris verſati ſunt, multò poſt Conſtantinum Reges in Gallia dominari cœpiſſe: quorum authoritatem & ius ſacroſanctum ſi quis in controuerſiam vocet, non modò ſenſu ſed pœna indigere videatur. Videant
Gonzagæ. Eſtenſes. Medicæi. Vicecomites. verò omnes in Italia principes, Gonzagas, Eſtẽſes, Medicæos, & qui aliquando fulminare Italiam dicti ſunt Vicecomites, an imperijs ſuis antiquiorem cauſam aut colorem honeſtum magis quæſijſſe videantur. Habeant igitur quod actori magnopere expetendum eſt confitentem reum, per me illis licet donationem nullam eſſe. Ad quos tandem ius repetendi ſpectare
Imperator Occidentis. videbitur? Ad Cęſarémne Occidẽtis? at Romanis Pontificibus multò eſt tempore inferior, ab eiſque Imperij faſces & nomen mutuauit. Quomodo ergo non tantùm de finibus imperij regundis, & longius latiúſque propagandis, ſed de toto principatu iudicio cum eo contendet, à quo hoc beneficio & feudo ornatus
Imperator Orientis. auctúſque eſt? Reſtat ergo vt Imperatori Græcorum repetitio detur, qui vt optimi ſunt teſtes ij qui probè vtranque hiſtoriam nouerunt, verus Romani Imperij ſucceſſor erat. Verùm incredibili Chriſtianorum clade tota illa dominatio à Turcis direpta eſt. Cernent
Turcarum Reges. igitur hanc hæreditatis partem Turcarum Reges, & tanquam mortua Eccleſia in ſucceſſionem venient ad bona populi Romani capienda? Sed hæc plus ſatis. Mihi quidem nunquam perſuaderi potuit opes in Eccleſia venenum ſparſiſſe, ſi aliqua authoritate fieri poſſet, vt Clerici in officio retinerentur: & his ipſis non ad luxum, venaticos canes & omnis generis delicias vteren-

terentur, sed ea moderatione rem familiarem gererent, vt reliqua in pauperum aduersaria conferrent, & parem illis rationem ascriberent. Quid enim eos prohibet in summa copia egenos fieri, atque ita ex sese aptos esse, vt à seipsis sua petant omnia, neque illis sit positum in externis bonis præsidium? Sed nescio quæ improbitas & auaritia nonnullorum Clericorum animos occupauit, vt diuitiarum studijs seculares homines antecedant, neque quicquam in religione aggrediantur, nisi eos vis auri & pecuniarum fames impellat. Hos certè maiores nostri tantis virtutum ornamentis præditos esse voluerunt, vt quæ Deus optimus maximus in cuiusque nostrûm arbitratu posuerat, ea grauissimis edictis prohibuerint, vt aliqua præ cæteris perfecti significatio in Clericis illuceret: indignum iudicantes eos quibus quasi interpretibus apud Deum vtimur, non aliqua à reliquis hominibus virtutis nota cēseri. Quod & piè & religiosè ab ijs obseruatum esse in suspicionem venio, qui primi nullo exemplo, intercedente Græcorum Ecclesia id oneris sibi imposuerunt, vt se nuptiarum expertes mallent. Cuius decreti authoritas nomine ad posteros peruenit, re autem omnino antiquata est. Qua indignitate cōmotus Pius Secundus Romanus Pontifex, prædicare ausus est, Summa ratione sublatas Clericis nuptias, maiori restituendas videri. In qua sententia & Panormitanus fuit, acerrimus tamen eorum quæ à Romanis olim Pontificibus rogata & scita erant propugnator: qui Ecclesiam medicorum sapientiam debere imitari ait: vt eas leges principio quidem cum publicis commodis coniunctissimas, sed tamen rerum &

Veterum Clericorū decor.

Pius ij. Papa

Panormit.

temporum ſucceſſu pernicioſas aut omnino anti-quaret, aut correctione adhibita moderaretur. Atque id ſibi animum præſagire ait, vt aliquando illa neceſſitas Clericorum voluntati condonetur. Et in concilio quidem Nicæno ſummè laudatus eſt Pannutius: qui cùm de cœlibatu Clericorum ad ſynodum referretur, eóque iam frequens iſſet concilium, vt interdicendas Clericis nuptias ſtatueret: is licet expers matrimonij eſſet, graui certè & magnifica oratione decreti ſeueritatem diſſuaſit, peruicítque ne continentes nuptiæ cum impudico cœlibatu commutarentur.. Sed quid ego in tantorum virorum ſententijs recitandis verſor totus, quas ſaluis legibus probare, aut cum dignitate improbare non poſſumus? Id tamen cuperem maximè, vt qui ſe ad hoc vitæ genus contulerunt, ei ſe quàm proximè fieri poſſet addicerent. Quocunque autem te animo & cogitatione conuerteris, erit quod in iſtis hominibus magnopere deſyderes. Nam vt alia quæ ſunt innumerabilia omittamus, cuius animus cogitando non erectus eorum ſocordia & remiſſione retinetur? quem noſtrûm non cum quadam Eccleſiæ & ſalutis publicæ miſeratione, offendunt ij in quos omnium gentium & populorum ora ſunt conuerſa? in quibus ſapientes ſummã remouendæ de Eccleſia ambitionis & auaritiæ ſpem collocauerunt. Hos rectè Dictatores appellemus, quibus hoc Senatuſconſultum ſit perſcriptum, Cauete ne quid detrimenti accipiat Chriſtiana Reſpublica. Vident ſanè & vident, quanta de imperio Chriſtiano facta eſt diminutio: animaduertunt veteres colonos de amicitia & ſocietate diſceſſiſſe,

Conciliũ Nicænum.

Pannutius.

neque

neque tamen de istis omnino ad principes & concilia referant. Patiuntur eam ceruicibus nostris pestem impendere, quæ sociorum statum propè iam deturpauit: nos autem in propinquum adduci discrimen. Illis quidem magnopere gratificandum esse censeo, quòd his clauum tenentibus tanquam duce Cynosura, eum nacti sumus portum, vbi tutò & securè consistamus. Tantùm enim illis vel sapientum iudicio tributũ est, vt nisi sibi pro fide & religione omnino aut decernendum, aut decertandũ esse statuissent, Ecclesiam quam vixdum tenemus, nullam certè haberemus. Quibus quòd à Republica Christiana non omnino deiecerunt oculos, magnam habemus gratiã. Sed tamen vellem vt reliqui corporis rationem etiam habuissent. Verùm vt Appelles Veneris caput & summa pectoris politissima arte perfecit, reliquam autem partem inchoatam reliquit: sic & illi summa & capita fidei impensè curarunt, reliquum autem corpus rude & imperfectum reliquerunt. Itaque Ecclesiam vel ab ipsa patrum nostrorum memoria repetens, mirari soleo, quòd cùm illorum maiores turbulentissimis Ecclesiæ temporibus se præclarissimè gesserint, & mirificas summorum Pontificum discordias sedarint: ita de pristina & velut hæreditaria vigilantia & animi magnitudine deciderunt, vt in tantis periculis versari nos tandiu, æquo animo patiantur. Meminerint ergo quanta fide & constantia, eorum maiores grauissimas de Papatu discordias in concilio Constantiensi extinxerint: quot legationibus ad populos & nationes missis, Pontifices tres inter

Apelles.

Veteres retinendæ in Ecclesia pacis studiosi.

Concilium Constantiense.

ſe diſſidentes ad æquitatem reuocauerint, & ſe magiſtratu abdicare coëgerint. Videant qua fortitudine Græcos à Latinis in ritibus diſcrepantes, in concilio Ferrarienſi ad religionis noſtræ ſocietatem adduxerint. Exiſtimauit ampliſſimum illud doctorum collegium ſua non tantùm intereſſe, regni principatum in fide retineri: ſed ad officium ſuum ſpectare, Chriſtianos vniuerſos locorum interuallis diſiunctiſſimos, vno & eodem vitæ modo cenſeri. Quòd ſi tam laborem faſtidiunt, vt externa parùm ad ſe pertinere exiſtiment, cur ſuorum ſacerdotum ſtupra & ſordes iure non coërcent, quibus exteros homines ad defectionem impulſos eſſe pluſquam manifeſtum eſt? Cur beneficiorum publicanos & mancipes ad pœnam non depoſcunt, aut Clericos emanſores & cruentis bellis implicatos, ad Eccleſiæ ſuæ ſtationem non reuocant? Cur concilij Baſilienſis decreta obſeruari non cogunt? quorum authoritatem cùm omnino abrogare vellet Eugenius quartus (qui iam olim iuſtis comitijs deſignatus Pontifex multos annos magiſtratum geſſerat) ſententia concilij priuatus eſt. Cur Epiſcopos gregarijs hominibus, lixis & imperitiſſimis quibuſque beneficia conferentes de officio non appellant: eóſque de ambitu Clericorum & ſimonia, déque manifeſtis ſtupris tranſlatiuè conſtituentes non excitant, atque adeo Clericis ab illis in ordines cooptatis, dare beneficia iuxta canonum inſtituta non cogunt? quorum tenuitate aut auaritia effectum eſſe videmus, vt præſtantiſſima quæque ſacramenta abducantur ad mercedem. Quòd ſi nos communis ſalutis ratio aliquantulùm mouet, quis

adeo

Concilium Ferrarienſe.

Exemplum inſignis negligentiæ.

Eugenius iiij.

adeo in rem ſuam propendet totus, vt tantam patrimonij Eccleſiaſtici direptionem & conturbationem ad luctum ſuum pertinere nolit? Nam præter id quòd qui ſacerdotijs præſunt, omnino ſe illorum cura & cogitatione abdicant, nullius rei ſoliciti magis, quàm vt breui manu à redemptoribus ſuis fructus beneficij capiant, adiungunt certè ad tantam noxam aliud facinus longè deterius, atque id agunt, vt in Eccleſiaſticis miniſterijs nemo niſi ex ſtipulatione & ſyngrapha verſari velit. Iam verò & ad dignitatem Eccleſiæ aptius erat, atque adeo ad neceſſitatem prouinciæ ſuæ accommodatius, aut vnumquenque pro ſe in ſacerdotio agere: aut certè ijs qui paupertate, deſerto illi officio ſe adminiſtros præbent, prouentuum partem attribuere: vt in his muneribus quæ diuinitus nobis & gratis ſunt conceſſa, etiam ſyncerè & gratis verſarentur. Decet enim eos quibus dignitas tanta obtigit ſorte, non tantùm omni auaritiæ crimine, ſed etiam ſuſpicione carere. Quia igitur generalium conciliorum authoritas, id tot ſeculis à noſtris hominibus impetrare non potuit, vt ea ipſi officia gererent per ſe, quibus cum beneficio ſumma & æterna eſt ſocietas, tempeſtati quæſo geramus morem, & quaſi mutata velificatione id aſſequamur, quod in vnius ſententiæ permanſione, & velut eundem curſum tenentes (vitio opinor temporum) retinere non potuimus: cogantúrque ij qui Eccleſiæ ſuæ ſtationem deſerunt (quia ad id nulla eos res poteſt adducere) partem redituum his qui magiſtratui Eccleſiaſtico cæteríſque pietatis officijs inſeruient, tranſcribere. Non quòd vlla ſit optanda in

Gratis accepta, gratis cõferri debent.

Ecclesia desertio : sed vt de duobus malis magis perniciosum fugiamus. Atque vtinam eos qui nobis velut in scopum & arcem quandam sunt positi, non tantùm Episcopos, sed planè lynceos haberemus, veréque tales vt optimo iure ab omnibus laudarentur. Etsi enim peccare tam humanum est vt ab homine alienum esse non possit, homines tamen tantos in luce omnium offendere tam periculosum est, vt rectè videatur dixisse qui ait, Principum cupiditatibus & vitijs ciuitatem infici solere. Quis enim in ea delicta licentior non incurrat, cùm ij qui illa coërcere debent, eiusdem cupiditatis tenentur? Nam si memoriam temporum replicare volumus, vidére licet, quales fuerunt administratores ciuitatum, tales & reliquos fuisse ciues. Itaque magistratum gerentibus si deliquerint, eò minùs forsan ignoscendum est, quòd non tantùm peccant ipsi, sed cæteris etiam peccandi illecebram afferunt. Præclara igitur illa quæ flagitantibus omnibus bonis, concilia quondam constitúerunt de simoniacis, de concubinarijs, de comitijs in beneficiorum designatione habendis, nisi saluberrimi cuiusque decreti perscriptio illis data esset, per quos partum esse vident omnes, vt etiam infimis quibusque contra ea liceret. Quoties ergo in sacrosanctis illis conuentibus de manifestis Clericorum stupris lex lata est? quot ijs qui duo sacerdotia possiderent pœnæ constitutæ? Horum certè plena sunt concilia. Proferantur quæso decreta Constantiæ, quibus Sigismundus Imperator (vt ab ijs omnis abesset metus) non modò interfuit, sed etiam præfuit. His de rebus toties senatum haberi non

Magistratuũ delicta, periculosa ciuitatibus.

Sigismũdus.

admo-

admodum opus erat, si confestim illis multæ dicendæ potestas data esset, qui rerum suarum & vitæ opportunitate ab his facinoribus alieni esse possent. Quid enim attinet de rebus multis rogationes ferre, quę in tutela & præsidio eorum iaceant, qui soli leges illas possunt offendere? Sapientissimè igitur apud Lacedæmonios à Theopompo Regibus oppositi sunt Ephori, vt regius dominatus magistratuum illorum temperatione in officio retineretur. Quòd si Regem Regi opposuissent, forsitan & quod volebant minùs essent assecuti, & eiusdem dignitatis societate, Reipublicæ libertas concidisset. Iam verò apud Romanos authoritati Consulum intercessores ex plebe dati sunt Tribuni, vt illorum imperio populus à se Patrum iniurias & senatus licentiam amoueret, hísque ducibus infimi homines inter potentissimos ciues securi versarentur. Quòd si ex Patritijs aliqui ad eum magistratum lecti essent, vetus illa & summa Consulum potestas in plebem forsitan fuisset impotentior. Eos ergo qui quondam de religione conuentus habuerunt, satis dignè laudare queat nemo. Sed tamen peruellem tantum cautionis in ferendis illis decretis adhibuisse, vt in eos qui illam temporum disciplinam violassent, perfacilis pœnæ certatio esse potuisset. Qui autem ijs legibus quas fermè offendunt soli, tutores ex senatusconsulto dantur, non inuiti earum authoritatem apud homines senescere patiuntur. Hæc si bene & sapienter attendissent ij, sub quorum tutela & præsidio iacent ornamenta religionis nostræ, non tandiu illa auaritiæ sica in Ecclesiæ lateribus versaretur..

Theopompus. *Ephori.* *Consules.* *Tribuni.*

Quia autem in rebus exulceratis, & propè iam ad summam inopiam redactis versamur: reliquum est vt in tantis calamitatibus & angustijs temporum Deum optimum maximum deprecemur, vt felicius nobis eueniat quam Spartiatis, quos auaritia perituros Pythius vates multis antè seculis præsagierat. Quod à nobis (vt spero) auertet, si Salomonis Ecclesiastem secuti, & in Deum virtutémque defixi, quę extra nos longè sunt posita velut inanitatis plenissima omnino contemnamus. Nihil enim est amabilius virtute, nihil præstantius: quam qui non probant non video sanè quid sit quod in natura rerum laudandum putent. Nunc verò opinionibus hominum leuiter eruditorum deprauati, ita viuimus, vt quasi magnum illum & vertentem annum victuri, operam, diligentiam, studia denique omnia quærendis opibus conferamus. Si autem vitæ miserias & calamitatem animo complecteremur, omnis mediusfidius, ille labor nobis è manibus excideret. Itaque sapienter mihi videntur fecisse Traces, qui cùm hominum ærumnas longo vsu peruidissent, nuper in lucem æditos summis lachrymis: qui verò è vita migrabant, incredibili lætitia & visceratione prosequebantur. In quo & Theophrasti leuitatem nemo non videt, qui cùm perspiceret se corporis vinculis mox liberandum esse, parùm gratè & honorificè de natura prædicans, & cum ea quasi damni disceptans de officio expostulabat: quòd animantibus brutis diuturniorem quàm ipsi homini vitam concessisset. Qua re quid inconstantius & minus Philosophicum? Victus opinor vitæ desyderio non memi-

Spartiatæ. *Pythius vates.*

Traces.

Theophrastus.

mi

minerat eorum quæ diuinè admodum Plato de immortalitate animorum ſcripta reliquerat. Quæ quum Egeſias frequenti hominum ſchola in Ægypto recitaret, tantam vitæ ſatietatem ei nationi attulit, vt innumerabiles propè ſe ex editis locis in conuallem egerint: vt immortalitatem quam aliquando temporis neceſſitas eſſet allatura, conſtantia & animi magnitudine anteuerterent. Quorum tantùm apud homines valuit opinio, vt lege lata fuerit permiſſum ijs qui iuſtam mortis ſibi conſciſcendæ cauſam apud iudices probarent, vim ſibi afferre, & iniuſſu ſummi Imperatoris de præſidio vitæ decedere: quod Adrianus edicto conſtituiſſe fertur. Atque eiuſmodi ſpectaculi teſtes Alexandrum Magnum & Sext. Pompeium fuiſſe legimus. Ex eadem cauſa etiam & illa manauit conſuetudo, qua filius non vulgari ſe officio de patre mereri iudicabat, ſi iam grandem natu & ſexagenarium parentem, de ponte in confluentem deijceret: vt eas miſerias quas affert & natura & ſenectus, pientiſſimus filius à patris ceruicibus depelleret. Quod etſi parùm liberale eſt, & à Chriſtianis hominibus alieniſſimum, eò tamen pertitinet, vt ſciant omnes, rerum humanarum incertitudinem & fragilitatem barbarorum hominum animis inſediſſe. Quibus ſi præſtantiſſimum veritatis Euangelicæ beneficium fortuna non inuidiſſet, quanta fortitudine, virtute, patientia, frugalitate & rerum humanarum contemptione futuros fuiſſe arbitraris? Ac ſi lubet veterum Principatus & Imperia, eáſque nationes quæ aliquando rerum potitæ ſunt meminiſſe, quis vnquam poſſet adduci, niſi tot & tantis li-

Egeſias.

Adrianus.

Alexā. Mag.

Sext. Pompe.

terarum monumentis fides eius confirmaretur, vt
Persarum Principatus. Persarum Reges ab India ad Æthiopiam, centum viginti prouincijs quondam imperasse existimet? At tãti regni maiestas apud Issum vno prælio concidit. Omitto Assyrios, Babylonios & Macedonas, qui patriam suam victorijs & hostium manubijs tantopere decorarunt. Quis verò non videt simulachrum Ro-
Romana Respubl. manæ Reipublicæ in tot literarum monumentis propemodum expressum? At eius ne vlla restat adumbratio. Tanti imperij amplitudinem cùm animo cer-
D. Augusti. neret D. Augustinus, se illius videndi incredibili cupiditate incensum affirmabat. Verùm quem Euripum, quod fretum, tot habere fluctuum agitationes existimare possumus, quot in gubernaculis Rerũpublicarum commutationes obtinet ipsa fortuna? quæ cùm in omnibus rebus, tum certè in principatibus & re militari plurimùm potest. Quis igitur hæc cogitatione perspiciens, magis laudandos eos cum Salomone non iudicat, qui his tenebris erepti, ea vita fruuntur quæ
Mortui viuis feliciores. sola vita est nominanda, quàm qui adhuc in ambitu, honorum cursu, & opum desyderio vitæ cursum conficiunt? Longè verò feliciores sunt ij, qui nunquam nati sunt: si modò eius quod non est, aliqua
Silenus. potest esse felicitas. In qua sententia Silenum fuisse memoriæ proditum est. Neque verò ab ea longissimè
Solon. abfuisse Solonem totius Græcię sapiẽtissimum iudicare possumus, qui Crœsum Lydorum Regem floren-
Crœsus. tem opibus & imperij gloria, infelicem prædicare ausus est: quòd in hac vita nisi infortunatissimus esse queat nemo. Cuius opinionis periculum fecisse Crœsum legimus, qui in summa calamitate captus amisso reg

ſo regno, cùm in pyram extructam præcipitem dare ſe iuberetur, clara voce Solonem dicitur exclamaſſe. Quis verò aut riſum aut lachrymas (neque enim omnes Democriti ſunt) tenere poſſit, ſi Paſaitum illum Turcarum Imperatorem imperij magnitudine & rerum geſtarum gloria præſtantiſſimum, viderit iuſſu Tamerlani Tartatorũ Regis cauea incluſum circunferri, & ab omnibus canis haberi loco? Quem noſtrũ ad miſerationem nõ adducit Conſtantini vltimi Græcorum Imperatoris calamitas? Quem illius vxoris & primariarum regni fœminarum, ignominiæ & impudicitiæ pleniſſima mors nõ commouet? Quem deniq; totius gentis turpiſſima ſeruitus? Hæc certè & pernicioſa magis, etſi quotidie in vniuſcuiuſq; oculis verſentur, conſyderat nullus. Quorum imaginem cùm longo, opinor, rerum vſu Grillus peruidiſſet, noluit ex porco iterum ad humanam formam redire, quòd omnium animantium longè infeliciſſimum iudicaret hominẽ: cui ſi vel horas aliquot in tranquillitate viuere vſuuenerit, de lucro vixiſſe ſit exiſtimandus. Itaque Salomonem noſtrum velut è veſtigio ſequentes, quid tandem in oculis verſari poteſt, quo nõ mortuos ipſos felicitate viuentibus præſtare iudicemus? Nam ſi mori nemo ſapiens miſerum duxit, ne beato quidem, quid cauſæ eſt cur turbulentiſſimis iſtis temporibus aliquis noſtrûm mortem ipſam accuſare poſſit, aut non ipſa aliquo potius beneficio affeciſſe nos ſit exiſtimanda? Quod cùm Salomoni incredibili ſapientia viro planè perſpiceretur, facilè eam ſententiam animo eſt complexus, quæ nihil homini reliquum eſſe cenſet, præter eas delicias, quæ in curando corpore omnino ſunt

Paſaitus.

Tamerlanus.

Conſtãtinus Paleologus.

Grillus.

Vtilitas Caldaicæ Paraphrascos. positæ. Verùm id ab hominum bene ſentientium animis planè alienum, Caldæus paraphraſtes ad æquitatem reuocauit: vt eam voluptatem (qua felicitatem huius ſeculi ſtatuiſſe videtur Salomon) in bonis reputaret, quæ vt cum operibus legis coniuncta eſt, ita nos incredibili gaudio cumulare ſolet. *Dauid. Lætitia in lege.* In quo Dauidi videtur ſubſcripſiſſe, qui iuſtos & eos qui aliquo velut ſacramento Deo ſe obſtrinxerunt, gaudere iubet. Quid enim eſt tam cum virtute conſentiens, quàm in Domino lætitia affici? A quo quæſo vnquam pro fide, religione & operibus legis ſuſcepta eſt propugnatio, qui non incredibilem animo voluptatem ceperit. Atque ne ſemper Chriſtiana conſecter, quis fortiſſimè aliquando pro patria dimicauit, qui non vel in ipſa contentione omnibus lætitijs inceſſerit? Quis etiam eorum, qui ad voluntariam mortē pro publica ſalute curſum equorum incitauerunt, non in ipſo mortis diſcrimine, præſentem calamitatem ſpe immortalitatis ſit conſolatus? Et pueri Lacedæmone ad aram virgis plerunque cædebantur: at eorum nemo non ſolùm non exclamabat, ſed ne hiſcebat quidem. Adoleſcentuli etiam Olympiæ, & Barbari in arena inſpectante populo plagas excipiebant, & tamen ferebant ſilentio. *M. Regulus.* Marcum igitur Regulum quum torqueretur à Pœnis, ærumnoſum, aut Anaxarchum Philoſophum *Anaxarchus. Nicocreon.* quum à Nicocreonte piſtillis tonderetur miſerum nemo niſi inſanus iudicauerit. Neque enim illorum animi magnitudo & conſtantia (vt ait ille) vel in ipſo equuleo, torquebatur. Ac ſi volumus noſtra cum *Apoſtoli.* externis conferre, qua tandem animi alacritate Apoſto-

ſtolos & innumerabiles alios pericula & corporis cruciatus adijſſe legimus? nonne ad ipſa ſupplicia non vulgarem lætitiæ ſignificationem videmus attuliſſe? Efficitur igitur vel in ſummis doloribus non tantùm illa Hieronymi Philoſophi indolentia, ſed gaudium & numeris ſuis abſoluta tranquillitas: de qua ſicut in Euangelicis libris ſermonem fieri fides noſtra conſtantiſſimè loquitur, ita certè non aliam verbis Salomonem complexum fuiſſe poſſumus ſuſpicari. Nam nec iiſdem equis veliſque retinendã eſſe voluptatem cẽſuit Salomon, quibus aut Cyrenaici, aut Anicerij, qui omnem lætitiam & voluptatem ad ſenſum corporis non autem ad animum reuocarunt: ſed in ea tranquillitatem poſuit, quam ſi à virtute dimoueas, non habeat in quo poſſit conſiſtere.

Summum bonum Salomoni.

Cyrenaici. Anicerij.

Habes mi frater, quæ ad Eccleſiaſtis ſententiam dicenda exiſtimauimus. Etſi autem longius forſan, quàm vel ſingularis illa animi tui incitatio pati poſſet, aut omnino decretum haberemus, noſtra excurrit oratio: ſic tamen ſtatuas velim, breuiores nos fuiſſe quàm res tanta dici potuiſſet. Sed quemadmodum nimiùm ſecunda nauigatio ſæpiſſimè oram legentibus obeſſe ſolet, ne terram aut portum omnino queãt contingere: ſic rei ſubiectæ curſu forſan incitatiore tam ſum in altum inuectus, vt niſi egrè me ipſum reuocare poſſem, potiúſque frænis quàm calcaribus viderer indigere. Sed tamen de his aliquando forſan copioſius. De mea autem voluntate ſic habeto, nihil tibi magis promptum eſſe, quàm in omnibus quæ ad te pertinebunt, officium, ſtudium

operam & diligentiam meam? Quod etsi tibi cumulatè persuasum esse certo scio, vincam tamen voluntate cogitationes tuas, méque totum ad amicitiam nostram ductúmque tuum applicabo. Intereà nos, vt soles, ama. Vale. Auenione, Calendis Sextilibus.

1553

Lugduni,
Matthias Bonhomme excudebat.

